Opobalsami veteribus cogniti vindiciae / [Johann Vesling].

Contributors

Vesling, Johann, 1598-1649.

Publication/Creation

Patavii : Typis Pauli Frambotti, 1644.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/zhmrg944

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30762479

IOANNIS VESLINGII MINDANI.

EQVITIS,

Et in Patavino Gymnasio Anatomiæ, & Pharmaciæ Professoris primarii,

OPOBALSAMI VETERIBVS COGNITI VINDICIÆ.

PATAVII, cIↃ.IↃC.XLIV.

Typis Pauli Frambotti, Bibliopolæ.
Superiorum permissu.

Illustrissimis, atque Excellentissimis Viris.

D. BAPTISTÆ NANIO.

D. PETRO FVSCARENO.

D. ALOYSIO VALARESSIO EQ.

D. MARCI PROCVRATORI.

Patavini Archilycæi Moderatoribus prudentissimis.

Ioannes Veslingius. S. P.

VÆ in florentissimo Gymnasio vestro, à multis iam annis, rerum naturæ curiosissimi viri publicè tradiderunt, non simplici priscorum auctorum lectione; sed obseruatione propria sæpius edocti, dum magno vitæ, sumptuumque dispendio, remotas ab Europæ complexu prouincias lustrarunt',

— mediosque fugam tenuere per hostes.

Eadem à liuore, & aspersis litigantium contentione tenebris vindicata, sistere vobis, Illustrissimi, atque Excellentissimi Rectores, & ad iudicij vestri solem examinare, tam officij mei ratio, quàm debita summis vestris meritis obseruantia postulabat. De Opobalsamo enim agitur, eximio medicamento, cuius stirpem impenso quondam studio, regijs hortis Palæstina colebat; nunc Arabia mercium odoratarum fertilitate beata,

patrio gremio feliciter fouet, atque educat. Perditam eam esse, vulgata dudum fama, etiam eruditis hominibus imposuerat. Donec è Veneta nobilitate tot clarissimi viri, qui Byzantio, Tripoli Syriæ, & Cahiro subditis Serenissimæ Republicæ præfecti, salutarem balsami lacrymam, in lucem postliminiò reduxerunt, ut iam auspiciis horum, in urbe ipsa Venetiarum, non in Museis tantum illustrium ciuium; sed etiam publicis aromatum tabernis, longa annorum serie facilè quærentibus obuia fuerit, atque etiamnum obvia nobis sit. Quò mihi maior illorum ingratitudo videtur, qui rem a tot seculis Veneto beneficio orbi Europæo redditam, et potissimùm à Prospero Alpino, Lycei vestri professore quondam celeberrimo, scriptis abundè patefactam, ausi fuerunt obscurare iterum, & ab officinis medicis,

— ultra Sauromatas, & glaciale
Oceanum —

relegare. Idque dum Opobalsamo, partim notas assignant eiusdem naturæ penitus repugnantes; partim rarissimæ cuiusdam, & ineffabilis fragrantiæ speciem induunt, nunquam tamen sensu narium ab ijs perceptam. Itaque secutus vestigia doctissimorum hominum, contra instandum, et utilissimæ resinæ facultates ac substantiam, ex veterum, qui acuratissimè pleraque complexi, monumentis reuocandam esse duxi. Non tam ut stabilirem, quæ nobilissimis Venetorum consulibus, atque antecessoribus meis, rata probataque fuere; quàm ut rei medicæ præsidium assererem, in propulsandis funestarum ægritudinum periculis insigni virtute paucissimis post habendum; quoque Mithridatis & Andromachi saluberrima antidota, sine virium euidenti detrimento, carere non possunt.

Quic-

Quicquid est, in paucularum chartarum angustias contractum, oculis vestris summittere non dubitaui. Neque ingratum fore arbitratus donum, quod per se non magnum, pondus ab animo meo accipiet vniuersum. Dedi enim, quod hoc quidem tempore optimum habui, in omni literario meo prouentu. Cætera beneuolentia vestra commendabit, qua me publicis, geminatisque Gymnasii vestri muneribus admotum, non promptè minus suscepistis; quàm constanter hactenus, & liberaliter fouistis. Neque aliud de vobis mente præcipere debui qui invictâ virtute Atlantes, cælum patriæ sustinetis, omnia pro Iustitia prudenter, pro communi ciuium salute strenuè, pro uniuersa Republica piè geritis. Quique inter grauissima Senatus onera, hunc saltem laborum fructum consecuti estis, ut vos non publici tantũ consilii clarissima sidera; sed etiam Sapientiæ penetralc, perfugiumque omnis doctrinæ seculum hoc fateatur. Numen illud veneror, ut seruet amplissima rei Venetæ decora, annorumque semper renascentium felici serie diutissimè prosperet.

IOANNES VESLINGIVS Lectori suo. S.

ACtum, ut aiunt, haud immeritò agere videar, quod post laudatissimum Prosperum Alpinum, antecessorem meum, de Opobalsamo scribere voluerim. Illoque ipso, quod inclyta suaueolentibus syluis Arabia producit, & in hanc usque lucem finitimis populis subministrat. Vix enim quicquam est, circa balsamici ligni, seminis, succique præstantis naturam, & actiones, vel intellectu difficile, vel sensibus obscurum, quod admota veluti clarissima face, non sic illustrarit, ut qui de tenebris adhuc, & caligine conqueritur, cum iure cum veteri dixeris Comico.

Τυφλὸν τὰ τῶτα, τόν τε νοῦν, τάτ' ὄμματα.

Scripserat P. Alpinus, tum ut arti medicæ desideratum aliquot seculis medicamentum restitueret, tum eorum expectationi satisfaceret, quorum intererat, historiam ipsam Opobalsami, salutaris scientiæ cultoribus iterum innotescere. Inuitarunt autem optimum virum, præcipuè doctiores sui temporis pharmacopœi, ut Theriacam Mithridatumque compositurì, (scilicet antidota quæ Opobalsamo deficiente non parum ab ęstimatione pristina decedebant,) palàm factis legitimis eiusdem notis, & natali solo, deinde excellenti hac resina liberius uti, fruique possent. Miscuerunt igitur Arabicum balsami succum magnis alexi pharmacis peritissimi quique. Veronę Ioannes Pona, & Franciscus Calceolarius, materiæ medicæ inda-

gatores

gatores solertissimi. Bernardinus Cicala Brixiæ. Neapoli Ferrandus Imperatus, rerum naturę scriptor, indagatorque indefessus. Lucæ, Balthassar & Michael Campii, varia doctrina, artisque pharmaceuticæ cognitione percelebres. Frequentiùs autem magnorum Hetruriæ ducum lectissimi pharmacopęi: tandemque Romę egregii viri, Vincentius Panutius, & Antonius Manfredus. Quorum hic Pharmacopolio præfectus, quod non tenui censu; sed regiis impensis, pauperum necessitati instruxit, Eminentissimus FRANCISCVS Cardinalis BARBERINVS: beneficium illis exhibiturus, tantò magis cœleste Deoq; gratum, quantò propius diuinam munificentiam, hostimenti nullius indigam, attingit.

Vt mirari etiam subeat, utcunque paucis lustris ab Alpini nostri decessu exactis, iterum de Opobalsamo scribendum fuisse, impellentibus, tantumque non urgentibus pharmacopœis; quamuis ob causam occasionemq; omninò dissimilem. Accidit enim, cum aliquot eorum Arabicam balsami lacrymam examinare conarentur, Prosperi Alpini fidissimo ductu, siue Latini sermonis inscitia, siue defectu libelli destituti, & vulgarium Dioscoridis interpretum verbis inhærentes, ut circa liquoris balsamici substantiam, inhæsionem, maculæ inductionem, coagulationem, dissolutionem, eos incurrerint paralogismos, ut rẽ incognitam damnare, falsi fictique insimulare, non erubuerint. Grauiore deindè affectuum impetu, ultra metam rectæ rationis abrepti, spreta clarissimorum Medicorum sententia, virorumq; industriorum exemplis insuper habitis, Aduocatos sibi quæsiuerint, quibus hic potissimùm

sco-

ſcopus propoſitus, ut Proſperi Alpini candorem, ſi qua p
ſent parte ſugillarent, virorum in cognitione Opobalſa
verſatiſſimorum ſenſum, ac voces eluderent; fidem etia
eorum ſuſpectam redderent, qui propius natales balſa
terras acceſſerunt,

Eoaſque domos Arabum ——

Summa, quibus nihil magis curæ eſſet, quàm ὑπερφρονεῖν τ
ὁ δεῖ φρονεῖν, reique incognitæ ſibi, quiduis potiùs tribuere
quàm quod eius naturæ, hominum peritiſſimorum co
ſenſus detulit.

Subuerterunt tamen has machinas, ſolidâ doctrina, v
tutumque omnium comitatu clariſſimi viri, Petrus Caſt
lus, Baldus Baldus, Balthaſar Bonannus, Franciſcus Per
publicis ſcriptis Opobalſamum pharmacopœis incogn
aſſerentes. Quibus hæc, quæ veritatis tuendæ ſtudio ſ
fragatum ſummitto, tantum cedunt,

Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis.

In iis tamen hanc mihi præcipuè operam ſumpſi, ut oſte
derem, nihil à P. Alpino de Balſami ſtirpe, lacrymæq
præſtantis vel criteriis, vel facultatibus, literis diuulga
fuiſſe, quod non Dioſcoridis, inter veteres de Opobalſam
ſcriptores τελείως ἀρεσκόντω, doctrinæ optimè conſentiret. F
regrino deinde Pitorio me patefacerem, cui quæ de co
trouerſo liquore teſtatus fueram, parũ liquidè conſtabat
Tuum erit, amice lector, æquiter omnia, & remoto,
dicitur, velo expendere, quum nobilis ea, de qua conte
tio eſt reſina, haud ſecus; quàm priſcum illud, ſacrum
طيب كاعبين, ex aromatis ſuauibus compoſitum unguen
tum, Deo, bonæque Valetudini conſecrata fuerit: quo
rum illum, atque hanc, ut propitiam habeas, ex anim
voueo.

In Vindicias Opobalſami

Perilluſtris & Excellentiſſimi Viri

IOANNIS VESLINGII

EQVITIS,

Et in Patavino Lycéo Anatomen, & Pharmacian in prima ſede profitentis,

ELOGIVM.

BAlſama odoratis demeſſa Orientis in oris
Sacrilegæ Solymis ſurripuêre manus.
ortice diſſecto iam non opobalſama ſudant,
Vlla nec in cornu gutta ſerena fluit.
ic periſſe putant pretioſum vulgo liquorem,
Partus Idumei qui fuit ante ſoli.
Iunc tamen in lucem reuocat VESLINGVS apertam
Nec ſinit in terris ligna beata mori.
empe idem manant fragranti è ſtipite ſucci,
Ploratu quondam quos ſua planta dabat.
a age, vir ſapiens, tibi fac durabile nomen,
Vt longùm durat Balſami amœnus odor.
oc Arabes, Indiue ferant; tibi laudis odorem
Hic liber vltra Indos, vltra Arabaſque feret.

Scipio à Grandimonte.

PRima Palæstinæ cessantia balsama ferro,
VESLINGI calamo iam rediuiua vigent.
Hæc equiti diues Nilo dedit arma Cairus,
Hæc Latio Solymis ille trophæa tulit.
Fidis plus oculis, quàm famæ credimus uni:
Inde licet famæ sit quoque nata fides.
Redde nouo meritos victori Roma triumphos:
Innocuus turbis præstat in Vrbe liquor.

Ioannes Rhodius.

Noi

Noi Reformatori del Studio di Padoa

HAuendo veduto per fede del Molto R.P. Inquisitore del S. Officio di Padoa, che nel Libro intitolato Ioannis Veslingij Opobalsami Veteribus cogniti Vindiciæ non si troua cosa alcuna contra la Santa Fede Catolica, inparimenti per attestationi del Segretario Nostro, non vi si troua cosa alcuna contra Principi & buoni costumi, concedemo licenza, che sia stampato, douendosi osseruar quanto per legge in proposito di stampe, con conditione che non sia venduto se prima non vien presentato vno per la Libreria publica, giusta la parte dell'Eccell. Senato de 2. Decemb. 1622. In quorum fidem, &c.

Venetia a' 3. di Nouembre 1643.

{ Batista Nanni Reff.
{ Pietro Foscarini Reff.

Aluise Querini Seg.

Ioanni Veslingio Equiti, Viro clarissimo.
Aloysius Quirinus S. P.

VIndicias tuas Opobalsami veterum, contra recentiorum quorundam inscitiam vidi, legi, & approbaui. Veslingii enim sunt, hoc est, doctissimi viri, qui scientias omnes callet, & in his studiosissimè summo posterorum fructu ætatem consumpsit. Laudent ii qui profitentur tanta hæc, cum illa degustarint, palatoque suauissima experimento comprobarint. Quare quantò citius effice ut edantur, &c.

Die 16. Octobris 1643.

OPus cui titulus Ioannis Veslingii Opobalsami Veteribus Cogniti Vindiciæ, quod fuit examinatum ab Excell. D. D. Ioanne Cottunio, & Octauio Ferrario, cuius initium, Quæ in florentissimo, &c. Et finis, Laboremus, &c. fuit pro impressione Paduæ visum etiam & approbatum sup. Die, & anno, cum nihil contra fidem, Principes, seu bonos mores in ipso reperiatur.

Ita est ego Fr. Antonius Vercellus à Lendenaria
Inq. Generalis Paduæ.

ERuditissimum hoc opus Præclarissimi, & Excellentissimi Ioannis Veslingii Equitis, & in Patauina Vniuersitate Botanices, & Anatomiæ Primarii Professoris, Hortique medici Præfecti; cui inscriptio, Opobalsami Vindiciæ, Ego Ioannes Cottunius diligentissimè, ac summa cum voluptate perlegi. Nec quicquam in eo reperi à Catholica pietate morumue probitate deuium. Quin uerò doctrinæ soliditate, & singulari elegantiæ candore ita vbique est firmatum, atque inspersum, vt per manus, & ora doctorum hominum volitare mereatur. In quorum fidem, &c.

Ioannes Cottunius
Philos. primi loci ordinarius
qui supra.

REuerendissimi P. Hæreticę prauitatis Quæsitoris iussu, Vindicias Opobalsamo ab Ioanne Veslingio Viro Clarissimo latas legere, pretium fuit. Quo in opere, non modo nihil occurrit quod Christianum lectorem moretur, aut turbet, quodque politica toruitas secus dictum interpretetur: sed suus superis honos constat, qui in eo succo quoddam immortalitatis simulacrum posuerunt: nec indignatur superis æqua potestas Regium liquorem in ordinem privati usus cogi, qui omnem seculi morumque tabem procul habe bit. Patauii VII. Kal. Nouembris MDCXLIII.

Octauius Ferrarius
Eloquentiæ, & Græcæ linguæ
Prof. ordinarius.

INDEX

INDEX
MEMORABILIVM IN VINDICIIS.

A

Abensina accuratè rē medicam tractavit. 34.
Abensinæ de opobalsami caliditate sententia. 24.
Abensinæ interpres de verbo Solvi notatus. 30.
Abensinæ interpres de opobalsami quātitate explicatus. 18.
Abensinæ interpres de condensatione notatus. 30.
Abensinæ interpres accusatur. 11.
Abdalla dux Saracenorum. 5.
Ab el moschi odor Opobalsamo præfertur.
Abietis, & pini lacrymæ opobalsami succedanea. 40.
Acidus spiritus an in opobalsamo. 48.
inest etiam dulcibus. 48.
facilè resinis educitur. 48.
Ægypti hortus balsamum alens. 11.
Ægyptus nō est balsami natale solū. 13.
quare educando balsamo non idonea. 14.
Ægyptus sacchari copiā producit. 45.
Aeria & terrea non iunguntur. 30.
Ahmet Habibus laudatus. 17.
opobalsamum ignis opera colligi prodidit. 17.
Albedo opobalsami per aquā diffusus. 9.
Alp. Alpinus plantarum exoticarum peritus. 52.
balsami illustrator. 3.
rectè veteribus ignorantiam obiecit. 41.
an opobalsamum triviale fere. ib.
opobalsamum magnis Hetruriæ Ducibus donavit. ib.
Prosperi Alpini de adhæsione opobalsami dubium. 27.
ab eodem recognita sublatum. 27.
Antiqui de opobalsamo pugnantia scripsere. 45.
iisdem non immerito ignorantiam obiecit Alpinus. ib.
pleraque auditu de opobalsamo acceperunt. ib.
exotica medicamenta in antidotis vsurparunt. 43.
falsi Iudæam balsami patriam instituerunt. 7.
Antiquorum diligentia in rerum utiliū inventione. 1.
luxus in unguentis disperdendis. 25.
proclivitas in opobalsamo adulterandis. 25.
Aquarum fontis Matahariæ virtus. 13. 14.
Arabes maxima gens. 5.
multis victoriis clari. 5.
hodie Turcis rebelles. 5.
quomodo balsami succum colligant.
cur olim balsamū colere desierint. 8.
cur denuo excolant. ib.
thuris & myrrhæ arbores celarunt exteris. 6.
an decoctione opobalsamum parent. 17.
opobalsamum quo ordine examinent. 19. 41.

bal-

balsami arborem quando & quoties incidunt. 16.
Arabia quare felix habita. 5.
pluribus locis balsamum alit. 6.
ab Augusto Cæsare expetita. 5.
ab Alexandro M. desiderata. ib.
odoratis gignendis apta. 6.
serpentes habet lethiferas. 10.
Arabes odorata lædebant. 5.
reges circa sterquilinia sepeliebāt. 5.
Arabes exarserunt in tumultus. 46.
Arabibus unde divitiæ. 5.
Arabes pigri, & dissoluti. 8.
Arabes infesti christiano nemini 43.
Ars naturam imitatur. 56.
Ars naturam perficit. 22.
Arte producta sunt secundum se naturalia. 56.
Asperitas plantarum unde. 14.
Augmenti lætioris in plantis causa. 19.
Marcus Auantius Chirurgus opobalsamum agnovit. 57.

B

BAldus Baldus opobalsamum Patavium mittit. 11.
Balsamum facilè propagatur. 45.
Balsami arboris magnitudo. 12.
quare fruticosa. ib.
folia cur rutæ comparata. ib.
folia an perennia. 13.
foliorum color quomodo mutetur. 12.
Iudæa ubi balsamum aluerit. 13.
an duobus tantum hortis. ib.
Exilitatis ramorum balsami causa. 14.
Balsami differentiæ in longitudine, asperitate, tenuitate. 14.
Balsami plantam quis ex Arabia ad extera detulerit. 7.
Balsamum quare perditum visum. 2.
Incisio balsamici corticis non semel tantum facta. 16.
quibus instrumentis facta. 16.
Ferrum quomodo reformidet balsamum 16.
Balsami planta difficulter apud Arabes cognosci potest. 6.
qui revelarunt iterum Europæis. 3.
Lacryma balsami raro & parcè stillavit. 16.
est spontanea vi elicita. ibid.
Lacrymam balsami quomodo exceperint. 17.
Lacryma balsami maculam parit, & non parit. 26.
non resolvitur in spiritus. 27.
Lacrymæ balsami terebinthina vitiata cognitio. 25
Lacryma balsami vestibus instillanda. 26.
necessario adhæret. 26.
non diffundit se ut oleum. 26.
ablutione tollitur. 26
quæ facilè vel difficile lotione auferatur. 26
Liquor balsami vitiatus velut oleum innatat. 22
non vitiatus quaqua versum expanditur. 32
crassescens fit deterior. 32
sincerus non petit fundum. 33
Succus balsami facilè solubilis quis sit 23.
Liquor balsami facili solubilis quare laudetur. 23.
Liquoris balsami lævitas laudetur. 23.
Balsami succus necessario mutabilis. 33.
per quas causas mutetur. 33.
Balsami succus celerius funditur alijs resinis. 31.
celerius funditur terebinthina. 31.
Succi balsamici boni notæ. 19.

recens

recens quare laudatur. 19.
recens quis nobis habendus, 19.
Succus balsami quomodo lac denset. 28
quando fortiter, aut imbecilliter denset. 29.
Succus balsami adulteratus quis propriè habendus. 22.
Balsami succus quomodo calidissimus. 23.
non est tam calidus ut arbitrabantur. 24.
Balsami silvestris semen. 36.
Lignum & fructus balsami adulterari negat Galenus. 36.
Fructus balsami quo adulteratur semine. 36.
Bassæ Ægypti balsamum ex Arabia petunt. 7.
eorũ incuria causa perditi balsami. ib
Honorius Bellius balsami plantas aluit. 3.
Petrus Bellonius balsami observator. 3.
Balthasar Bonannus opobalsamum defendit. 57.
Busbequii opobalsamum cur medicis suspectum. 49.

C

CAlceolario opobalsamum quale fuerit. 52.
eiusdem laus, & industria. ib.
Califfi balsamum in Ægyptum retulerunt. 7.
Carpobalsami descriptio. 9.
affertur sæpè recens. ib.
ex eo natæ in Italia plantæ. ib.
Carpobalsami examen & usus. 35.
sit flauum aut rufum. ib.
plenitudo eius quæ satis sit. ib.
amplitudo & pondus. ib.
similitudo cum terebintho. ib.
sit gustu fervidum. 36.
Opobalsamum redoleat. ib.
eius calor quatenus intensus. ib.
secundariam habet agendi vim. ib.
odoratum admodum. ib.
cur odorem diutius servat. ib.
quomodo odoratius succo. ib.
Carpobalsamum viribus opobalsamo simile. 38.
variis pectoris affectibus conducit. ib.
an peripneumonicis conveniat, & quando. ib.
Ischiaticis & epilepticis qua ratione opituletur. ib.
Carpobalsami succedaneum. 40.
Cephalici pulveres antiquis probati. 39
a. L. Septalio, cum Magato reijciuntur. 39.
quomodo & quando prosint. ib.
Chalcanthum quomodo concrescat. 29.
Chymica arte elicita, an naturales rei partes. 22.
Chymicè elicitorum differentia. 22.
Chymicè præparata an à natura sua valdè diversa. 56.
Chymici est empyreum a contractum auferre. 56.
Cleopatra balsami regione donata. 13.
balsamum in Ægyptum transtulit.
Climatum differentia parit diversitatem in plantis.
Coagulare propriè quid. 28.
Coaguli natura & vires. 28.
Coagulum lacti facilimè miscetur. 28.
Coagulatio opobalsami est imperfecta. 28.
Coagulatio non potest è resinosis fieri. 28
Coagulationem lactis quid in opobalsamo impediat. 34.
Coloris mutati in corpore humano causa. 31.
Concretionis causa Aristoteli. 29.

Con-

Concretio lactis non eodem tempore absolvitur. 30.
Condensationis causa Chymicis. 29.
Constans Imperator ab Arabibus victus. 5.
Constantinus an ex sola Aegypto opobalsamum habuerit. 18.
Constantinus opobalsamum templis dicavit. 15.
Aloysius Cornelius consul opobalsami acris censor. 9.10.
Sublunaria sunt obnoxia corruptioni. 33.
Creta sumministrabat herbas ad antidota. 24.
Cretaea plantae infinito praestare alijs visae. 43.
Curae vanae quo impellant homines. 1.
Petri Castelli de opobalsamo decoctione elicita dubitatio. 56.

D

DAniotus balsami plantas aluit. 9.
Densare non est coagulare. 28.
Densatio in lateribus, melle, & opobalsamo non est coagulatio. 28.
Dioscoridis ex Galeno encomium. 11.
Dioscoridis laus in manifestandis fraudibus opobalsami. 26.
Dioscorides omnium optimè de materia medica scripsit. 34.
quaedam ex historijs aliorum hausit. 46.
de caliditate opobalsami explicatus. 24.
de quantitate opobalsami explicatus. 17.
nomen levitatis opobalsamo non tribuit. 48.
quo modo de macula opobalsami interpretandus. 51.
Ipsi quid vox ἰυδίετ & significat. 48.
Diuinis posse & esse idem est. 3
Dohen quid Arabibus. 1

E

EFfectus temperamentum consequ tes cum eo mutantur. 4
Engaddi oppidum in valle Hierichuntis comprehensum. 1
Ευδίετον quid Dioscoridi. 2
Expensio super aquas resinis & opobalsamo quomodo communis. 5

F

Mortalibus fœtor cognatus. 24

G

GAlenus opobalsami adulterationem subticet. 25
Galeni studium in cognoscenda materia medica. 43
Galenus Palaestinam opobalsami causa accessit. 43
Aelius Gallus Arabes invadit. 5
Stephanus de Gasparis patronus pharmacopœarum. 4
naturam opobalsami in odore pavit. 47.
extollit odorem super omnia nostri hemisphærij odorato. ib.
Giggeio quid Rotolo. 28.
Melchior Guilandinus balsamum in Aegypto vidit. 3.

H

HEliogabalus opobalsamo abusus. 15.
Georgius Hemus consul Venetus. 3.
Heraclides Tarentinus quos praconibus compararet. 43.
Herbarij imperatorum in Creta. 43.
Principum studium in collectione herbarum. 24.
Hermeticorum de concretione sententia. 29.
Hierichuntis vallis amœnitas. 13.

bal-

balsamum possidebat. ib.
Homogenea tantum miscentur. 30.
Hyperici seminis similitudo cum terebintho. 36.

I

IGnis plura perdat an generet, dubitat Pitorius. 56.
Ignis pro gradu intensionis diversimodè operatur. 56.
Incuriæ damna. 1.
Indi opobalsamo similes resinas decoctione parant. 17.
Difficultas inveniendorum non absterret generosos animos. 42.
Iosephus de Sabæ regina explicatus. 7.
Iosephus à contradictione vindicatus. 13.
Iosepho cur opobalsamum pretiosissimum. 20.

L

LAtescere num opobalsami proprium sit. 53.
Locus quomodo sit mutationis causa. 54.

M

IOannes Manelphus opobalsamũ laudat. 57.
Antonij Manfredi laus. 3.
Cognitio medicamentorum ex auctorum lectione est insufficiens. 26.
Mel hymettium & opobalsamum Romæ obvium fuit. 24.
Alexander Menginus opobalsami assertor. 57.
Mesue opobalsamum coctione colligi scribit. 17.
Mercurius Chymicorum est spiritus. 29.
Mistura vox de opobalsamo non usurpata. 52.
Iohannes Molinus linguarum orientaliũ interpres. 57.

N

IOannes Nardius opobalsamo assertor peritissimus. 57.
Cosmi de Nigris laus. 11.
opobalsamum damnatum Venetias attulit. ib.
opobalsamum vili emere potuit. 19.
opobalsamum à quo, & quanti emerit. 58.
eiusdem virtus æstimata. ib.

O

OCulus solis Abensinæ hodie hortus el Matabaria. 13.
Odor aromatum magni à Galeno habitus. 47.
Odor manifestat non bonitatem tantum plantæ; sed & ipsam. 47.
Odorata an cephalalgian curent. 37.
Mediocria optima. 37.
Odor validus quid indicet. 20.
Odor & sapor in examine opobalsami non negligendi. 50.
Oleum iuniperi celeriter diffũditur. 32.
Mauritanicum oleum pro opobalsamo venditum. 25.
eius differentiæ à balsami succo. ib.
Oleum aliter maculat, quàm opobalsamum. 51.
Causæ opobalsamum necessario mutantes. 49.
Opobalsami controuersia vbi & à quibus disceptanda. 4.
Opobalsamum est Seri, cuius in sacris literis fit mentio. 7.
ab antiquissimis seculis in Palæstinã & Syriam delatum. 7.
Opobalsami consistentia varia. 10.
odor acris recluso vase. ib.
odor eius circa fæces. ib.

usus in theriaca. ib.
Opobalsamum quomodo coctione frondium paretur. 17.
Lana absersum opobalsamum. 16.
Opobalsami copia tempore Plinii & Solini. 8.
Opobalsamum in & extra aquam latescit. 53.
Opobalsami fragrantia non est nimium extollanda. 59.
notæ debent eius naturæ consentire. ib.
De opobalsamo quis optime iudicare queat. 45.
Opobalsamum facilè inter Arabes abũdare posse. 45.
Sincerum opobalsamum quod. 22.
Opobalsamum improprie ἔλαιον oleum dici. 15.
Opobalsamum an semine adulteretur. 22.
Recens opobalsamum non petit fundum. 53.
Caniculæ ortus Opobalsamo colligendo aptus. 16.
Opobalsamum intra annum insigniter densari. 49.
Opobalsamo nil obest quod ab aliquot pharmacopœis non fuerit cognitus. 57.
Opobalsamum esse resinam. 15.
Essentia opobalsami non consistit in collectionis modo. 58.
non in conditione emptoris aut venditoris. 58.
non in pretii magnitudine aut vilitate. 58.
Opobalsami gutta multum lactis non densat. 52.
densat partem lactis quam attingit. ib.
soluta statim debilior fit. ib.
Opobalsamum esse succum pinguem, esse viscidum. 15.
Opobalsamo etiam optimos fæces deponit. 57.
Acidum opobalsamum sapore Vestingio non perceptum. 48.
Opobalsamum decoctione parari quare facile. 17.
Opobalsamum arte elicitum esse genuinum eius succum. 56.
Opobalsamum spissamentis unguentorũ additum. 38.
Odor opobalsami rutæ similis. 20.
terebinthina & thure præstantior. 21.
suavior resinis veteribus cognitis. 21
Opobalsamum vino & homini quomodo simile. 19.
Læve opobalsamum unde, & quale sit. 23.
Adstrictio & mordacitas opobalsami qualis. 23.
Odor opobalsami qualis vetertbus habitus. 20.
cur eximius Theophrast. 20.
Odor opobalsami non superat ambræ fragrantiam. 20.
non Iasmini & hammiæ moseatæ. 21.
Odora suavitas opobalsami varia. 21.
pro ratione ætatis, collectionis, consistentiæ. 21.
ratione loci, & vecturæ. ib.
Odor in Syriaco opobalsamo an suavior, quam Arabico. 21.
Subacidum opobalsamam improbatur. 22.
propter quas causas tale fiat. 22.
Syriacum opobalsamum facilius acescere potuit. 23.
Opobalsamum recens subacidum vapo-

rem

rem spirat. 23.
Opobalsamum quando defuit. 18:
Othmannus Abutalib opobalsami examinator. 9.
Arabicum opobalsami habet notas omnes sinceritatis. 35.
est idem cum illo, quod Iudæo quondam produxit. 35.
Arab. Opobalsamum an adulterēt. 25.
Arabes cur non adeò copiosum opobalsamum colligant. 18.
Opobalsamum ex Arabia nunc temporis petendum. 43.
Arabicum opobalsamum lac densat. 30.
Arabicum opobalsamum lotione auferitur. 27.
Arabicum opobalsamum habet omnes bonitatis notas. 24.
Adulteratio opobalsami quibus facta fuerit. 24.
antiquissimis seculis recepta. 24.
Cahiri opobalsami vitiatus. 25.
Byzantio aliquando opobalsamum deesse. 46.
Opobalsamum rarò in Græcia purum reperiebatur. 24.
Venetijs opobalsamum satis obvium. 44.
Opobalsamum vetus non sustinet examen recentis. 44.
Patavii qui opobalsamum possederint. 44.
Opobalsamum multa simul possidet, quæ in alijs singula. 32.
Opobalsamum recens non manet sub aqueis. 30.
Opobalsamum cn hodiè tam copiosum dubitatur. 46.
Opobalsamum secundum ætatem variat. 34.
quando fundum petat, & ob quàm causam. 34.
quando sursum remeet, & quando non. 34.
Odorem opobalsami parvi ducit Peregrinus Pitorius. 47.
quomodo à Prospero Alpino sit determinatus. ib.
ture & terebinthina suaviorem esse. ib.
Opobalsamum non parit maculam. 27.
lac densat, & quomodo. 28.
lacti & aquæ non miscetur. 28.
non adstringit fortiter. 28.
expansione debilitatur. 28.
salem habet coagulantem. 28.
Notæ opobalsami puri an immutabiles. 33.
an constituant differentiam specificam. 33.
Lacryma unica opobalsami latè superficiem occupat. 31.
Lacrymæ opobalsami artificiosa plagæ elicitæ. 55.
Crassitiem opobalsami sequitur pertinacior adhæsio. 33.
Opobalsamum quodnam habendum genuinum. 32.
quodnam bonum, & incorruptum. 32.
Senectus in opobalsamo omnia deteriora facit. 33.
Expansio opobalsami est æqualis. 31.
Solutio opobalsami non indiget agitatione. 31.
Solutionis repentinæ causa. 31.
Solutionem opobalsami quid retardet, & tollat. 31.
Solutionem opobalsami consequitur eius condensatio. 31.
Opobalsamum densatum lactescit. 31.

causa lactescentia in opobalsamo. 31.
Dilatationem opobalsami quid impediat. 34.
Opobalsamum celeriter funditur. 30.
Opobalsami celerior fusio signum Arabibus præcipuum. 30.
Fundi opobalsamum idem est quod solvi & liquari. 30.
Solutio opobalsami non est mistio. 30.
Opobalsamũ Syriacum an magis denset quàm Arabicum. 30.
Syriacũ opobalsamum temperatius. 30.
Succedanea opobalsami quæ. 39.
Opobalsamo substituta myrrha stacte. 39.
Opobalsami usus in vulnere temporum cum fractura ossis. 39.
Opobalsami vis adversus aconita & viperæ venenum. 38.
Opobalsami utilitas in affectibus ventriculi, & uteri. 37.
in difficultate respirandi. ib.
in calculis renum. ib.
Opobalsamo Tolutana & Peruana lacryma substituta. 40.
oleum ex terebinthina flavum destillatum. ib.
oleum nucis moscatæ plurium consensu adhibitum. ib.
Opobalsamum quomodo vim habeat efficacissimam. 37.
oculorum affectibus quibus & quomodo medeatur. ib.
capitis dolores mirè mitigat. ib.
Opobalsami vis adversus pestem vires 38.
in vulneribus. 11.
Opobalsamum defunctis datum. 19.
Opobalsami unguentis vitiati cognitio. 26.
Turcarum Imperatori quantum opobalsami mittat. 40

P

PAmphili herbarij scriptoris vanitas. 43
Vincentij Panutij diligentia. 3
Partum & secundinas quæ promoveãt 37.
Peruana lacryma balsami succo substituta. 40
Pharmacopæos quid impulerit ad opobalsamum damnandum. 4
Pharmocopæorum impetus in opobalsamo damnando. 3
Philosophiæ ansa. 46
Philemonis Comici sententia laudata. 59.
Pinguia semper superstant aqueis. 35
Peregrinus Pitorius pharmacopæorũ propugnator. 4
epistolis Veslingij abutitur. ib
Peregr. Pit. frustra dubitat an carpobalsamum deferatur. 44.
quantitate opobalsami offenditur. 44.
Peregrini Pitorij impetus in oppugnando balsami succo. 41.
blanditiæ erga Baldum. ib.
iudicium de Donzellio. ib.
Censura P. Pitorij quibus fundamentis nitatur. 5.
P. Pitorius rationes Cl. Baldi infirmas docuit. 5.
negat Manfredo usurpatum opobalsamum fuisse sincerum. ib.
experimentum de macula principale existimat. ib.
Alpinum substernere cogitat fũdamentis. ib.
Peregr. Pit. à venalibus opobalsamis cavendum censet. 50.
Per. Pitor. Alpinum Matthiolo post

ponit frustra. 51.
Peregr. Pitorius testibus de opobalsamo fidem abnuit. 53.
P. Pitorij processus veteris iustitia nil derogat opobalsamo. 58.
Peregr. Pit. opobalsamum spissius fieri confitetur. 49.
Peregr. Pit. notæ sinceritatis sunt immutabiles. 48.
Peregrinatio solemnis Meccam. 8.
quare gestatio vestis dicta. ib.
quando & quot diebus absolvitur. ib.
Pharmacopæorum de opobalsamo iudicium. 56.
Pharmacopæi neque Dioscoridi neque Alpini scripta intellexere. 57.
iidem ob proterviam vix excusabiles. ib.
ijsdem opponuntur pharmacopæi rectius sentientes. ib.
Plinius scribit quæ Dioscoridi adversantur. 46.
Plinius multis mendis fœdatus. 34.
Plinius de subsidentia opobalsami rejcitur. 34.
in materiæ medicæ æstimatione Dioscoridi postponitur. 34.
Plinius cur odorem extulerit opobalsami. 20.
Ponæ patris opobalsamum idem cum nostro. 52.
Ponæ filij testimonium de opobalsamo Arabico. 52.
Idem laudatus. ib.
Petra oppidum Arabiæ. 26.
πήγυυται quid Dioscoridi: quid Theophrasto, & Aristoteli. 28.
Pulli in furnis exclusi sunt naturales. 56.
Pulmonibus obstructis quæ remedia meliora. 38.
Cassianus de Puteo eques laudatissimus. 57.

R

ROtolo quid Arabibus. 18.
Resinosi liquores omnes qualitates variant. 49.
Ruellius de effusione, & inhasione opobalsami ansam præbuit dubitādi. 26.
Ruellius de cera Cypria notatus. 25.

S

SAbæ regina Salomoni balsamum donat. 7.
an Aethiopum Regina & Aegypti fuerit. 7.
fuit Regina al Iamini. 7.
Saccharum est succus naturalis calami sui. 56.
Saccharum quomodo concrescat. 29.
Sal chymicis quomodo accipiatur. 29.
Sal est causa proxima concretionis. 29.
Io. Dominicus Sala laudatus. 44.
Saladinus & Sethus de opobalsami subsidentia rejciuntur. 34.
Cl. Salmasii laus. 34.
animadversio in Plinium de generibus balsami. 14.
Marius Schipanus opobalsamo subscribit. 57.
Veterum scripta quis spernat. 46.
Selim Imperator Aegyptum et Arabes domas. 5.
Seriffi munera ad imperatorem Turcarum. 8.
Marcus Aurelius Severinus Chiron alter. 57.
Ludovicus Septalius notatus. 39.
Petri Servii opinio. 20.
Gulielmus Sobierus laudatus. 9.
Strabo de viribus Opobalsami. 37.
Succus ὀπὸς quotuplex Theophrasto. 15.

Succi

Succi lacrymati quales. ib.
Lacrymati succi sunt odorati. 15.
Suffusioni quæ remedia apta. 37.
Sulphuris balsamici effluxus pallorem efficit. 31.
Sulphur insitum opobalsami in quo copiosius. 55.
Sylæi Arabum legati astutia. 5.

T

TAcitus de incisione balsami explicatus. 16.
Tempus fabro malo comparat Crates. 33.
Ossis temporum perforatio. 39.
Tenacia difficilius abluuntur. 33.
Terebinthina odoratissima Theophrasto. 20.
Terebinthi cum balsamo similitudo. 40.
eius lacryma, oleum, fructus, & ramuli balsami succedanea. ib.
Expertis & oculatis testibus credendum. 50.
Theophrastus opobalsamum ex aliorum relatione describit. 45.
Arbor thurifera Deo sacra. 6.
Tolutana lacryma cur opobalsamo substituenda. 40.
quæ non eligenda pro succedaneo. ib.
Turcæ unguentis non sunt dediti. 19.
eorum fœminæ stybio & ligustro contentæ. 19.

V

IOannis Baptista Valtropus opobalsamum probavit. 57.
Veslingius de controverso opobalsamo quid senserit. 58.
Veslingium balsamum controuersum legitimum asserere. 54.
nullis heterogeneis admissis vitiatum. 55.
odore tantum consueto paululum flexisse.
Epistola Veslingij ad Baldum Ba prior. 5
eiusdem epistola altera. 5
Veslingium à veteribus diversa asse re nil prohibet. 5
Opobalsamum decoctione elici fan tantum accepit Veslingius. 5
Vestimenta quibus instillatum opob samum varia. 2
Veteres duces nostri non domini fuer 54
Gratitudo veterum adversus benef ctores.
Viscida adhærent tenacius. 2
Vitra Europæorum magno pretio re munt Indi. 58
Vnguenta præstantiora veterum qual fuerint. 20
Luxus veterum in unguentis. 2
Vnguenta quibus opobalsamum viti tum. 2
Vrbani VIII. Pontif. M. prudentia.
Exemplum curati periculosi vulner adhibito opobalsamo. 39

X

XYlobalsami descriptio. 9
odor facilè resolvitur. ib
Xylobalsami succedaneum. 40
Xylobalsami examen. 35
Xylobalsamum requiritur recens. ib
cito resolvitur, & quare. ib
sit tenui surculo, & rufum. ib
spiret opobalsamum. ib
affertur sæpè recens. ib
semine seu fructu balsami debilius. 38.
quibus morbis medeatur. 38.
quemodo convulsis auxili tur. ib.
Convulsioni causæ quæ sint. 38.

Xylo-

Xylobalsami usus in vulneribus. 38. 57.
pulvis ad ossium læsorum desquamationem confert. 39.
puluis unguentis additus. ib.

Z

PAulus Zacchias opobalsami vindex

Zacconis oleum opobalsami titulo venditum. 25.
quale sit, & quomodo paretur. 25.
eius differentia ab opobalsamo. 25.

Errores operis properantibus relicti, pagina lineaque subjecta, ut sequitur corrigantur.

In præf. ad Lectorem		eum iure			
Pag. 2	Lin. 7	propius	Pag. 47	Lin. 32	curæ
3	18	Alpinus Marosticensis	47	37	vergat
7	28	auiditas	47	40	odoranti
8	29	transigens	49	10	colorem
10	16	concreti	49	21	incessabilem
14	18	varietatem	50	12	pharmacopoliis
20	23	myropoliis	51	40	inerti
22	16	abjecisse	53	13	amicitię
24	1	coercens	54	14	reiiciendum
25	17	irrorato	54	26	aperuerint
26	40	instillandum	54	30	æternaque
28	9	spissatione	55	9	larvas
31	6	abiete	55	11	nomine
31	9	equi	55	35	artificiosa quadam
35	33	propius	57	37	ὑγιαίνειν
37	33	quo	67	22	theatro
39	16	contusarum	70	19	homine
41	3	variarum	77	38	nihilominus
41	22	disperdere	80	41	Germaniæ
42	21	Epidaurius	82	16	crocos & in
43	4	Theriacam	83	11	Alteram
43	14	difficultatum	84	41	succus
44	12	id	87	9	sententia
44	35	suarum	87	27	iratum
45	3	curiosè	95	16	non idem
46	40	contraria			

IO: VESLINGII OPOBALSAMI ANTIQVIS COGNITI VINDICIÆ.

DVO ſunt, quæ res clariſſimas, uſuque maximas, ſpiſſa nocte involuunt. Incuria generis humani, & vana cura: quorum altera deſidiæ torpentis abortus eſt, altera prurientis ingenii morbus moleſtiſſimus. Diligentiæ quidem priſcorum acceptum ferimus, quod cùm alia quorum poſſeſſio vitam nobis jucundam peperit, tum humanæ valetudinis præſidem artem, quę paucarum olim herbarum ſcientia fuit, multiplici remediorum varietate locupletatam obtinemus. Nihil enim iis intentatum, nihil deinceps occultatum fuit, quod profuturum poſteris ſcirent. Conſumpſerunt inter experimenta ætatem, diuque virorum illuſtrium certamen viguit, ne quid emolumento ſeculorum conjunctum in obſcuro longiùs deliteſceret. Excitauit percepti beneficii magnitudo gratam poſteritatis memoriam, ut rerum utiliſſimarum inuentores Deorum ſuperum numero miſcuerit, aut vitam eorum cognominibus repertorum effecerit clariorem. Meritiſſimo ſanè jure. Quis enim eſt, ut Lucretii verbis loquar,

Qui valeat tantum dictis, ut fundere laudes
Pro meritis eius poſsit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit,

ſine quibus nec viuere hominem facile erat, nec valere jucundum. At incuriæ, deſidiæque diſpar genius, quæ cum veterno ſuo ante ſepulta ſit, quàm ſepulta, ſuam pariter atque alienam ſalutem flocci facit, & ne paratá quidem alieno ſtudio bona, avet cognoſcere. Radiantem igitur in gemmis naturæ majeſtatem ignorat, quia non metalla tantum montium; ſed obvias etiam terræ glebas intactas relinquit. E nuce nucleum non adipiſcitur, quia frangere putamina piguit. Eadem infelicitatem bonis artibus inuexit, dum tradita veteribus ſalubrium præceptorum ſemina turpiter abiicit, ut neceſſum deinde ſit, inter nitentia priſcorum culta, infelix dominari lolium, & ſteriles avenas. Verè Theophraſtus communem pręcæteris, magiſque evidentem rerum in peius deflectentium cauſam eſſe

negligentiam, πάντα γὰρ ὡς εἰπεῖν ἀπαγριοῦται. Omnia enim per hanc velut agrestia fieri. Atque utinam hoc tantum; nunc imminuuntur etiam, pessundantur, abolentur. Augent è contrario calamitatem frivolæ mortalium, vanæque curæ. Quas enim turbas non excitat petulca mens, cum extramundi convexa peregrinatur, lascivitque circa sacros mysteriorum ignes: cum dementium Aloidarum instar, in arcem divinæ providentiæ irrumpit, tantò citiùs fulmine peritura, quantò propriùs culmen cœleste accessit. Nec minus in rerum naturæ contemplatione malè curiosus animus deficit, cum relicta sensuum, & experimenti consultissima via, tantum scabra quædam, & confragosa sibi obiicit, aut spinas colligit, languidum acumen inutili subtilitate exercentes. Pejus operam ludit, cum sententias tantum alienas venatur, vellicat, pungit, jugulat: ignarus facilius esse magnorum auctorum cogitata subvertere, quàm opiniones proprias aliorum judicio committere ῥᾷον εἶναι τὸ ἀποσκεδάζειν τοῦ κατασκευάζειν. Pessimè omnium exorbitat, cum carpit quæ non capit, præstantissimisque auctoribus stuporem suum impingit: cum è tribunali & veluti rostris pronunciat, de re nec fideli sensu, neque experientia cautâ satis expensa. Idque vel eò periculosius, quo fœdius vel invidiæ, vel auaritiæ virus corruptis affectibus illevit. Hoc itaque præside si petenda nobis suffragia sunt, periit Balsamum, & pretiosæ ex eodem lacrymæ,

Quas ungue duro saucius quondam pluit
Ægyptius fragrante cortex vulnere.

Periit odora suavitate, virtutumque estimatione excellens medicamentum, adeoque virium suarum dispendium incurrunt, nobilissima veterum antidota, potissimùm illa quæ ob θηρία quæ recipit, auxiliumque θηριοδήκτοις collatum haud immeritò Theriacæ nomen sortita est. Quorum illud, vereor ut in parentem Naturæ maximum optimumque injuriosum sit: hoc in gravissimis morbis periclitantium ægrorum discrimine conjunctũ. Quamvis enim deleto imperii Romani nomine, Persarum, Turcarumque violenta manu, quicquid Palestina aut religione venerandum, aut utilitate suspiciendum possidebat, miserabili exemplo pessum iverit, nec dissimile fatum propinquam Ægyptum presserit; adeoque non abs re mentes hominum insederit opinio, deletas pariter fuisse eximias Balsami plantas, quibus excolendis (ob lucrum quod in publicum exindè fiscum redundabat) quamvis paucis in hortis, singularis impendebatur industria. Factum tamen est, mitigatis cœlesti benignitate calamitatibus, ut viri pietate, & genere insignes, Palęstinam atque Aegyptum peragrantes, commentariis itinerum, Balsami nomen veluti Lethæis ereptum undis, hominum iterum memoriæ commendarint. Ipsi quoque proreges, rectoresque provinciarum, principum Christianorum legatis balsamicæ resinæ suavitatem haud inviderint, secumque deinceps in patriam detulerint, variarum ex

Europa

Europa nationum nobiles præfecti, in Syria & Aegypto negotiorum causa degentium. Summam tamen opem, jam vulgi persuasione exempto rebus humanis Balsamo attulerunt, viri materiæ Medicę studiosi, qui pot habitis vitæ, sumptuumque dispendiis, plantam Balsami, aut in horto Matahariæ Aegyptio cultam, aut ex recenti natam carpabalsamo viderunt, visamque curiosè descripserunt. Inter hos Petrus Bellonius Cenomanus, Francisci primi Galliarum Regis munificentia dignissimus, qui cognoscenda metallorum, plantarum, animantiumque natura veluti æstro percitus, Græcia, Asia minore, Syria, Aegyptoque perlustratis, Balsami natale solum, plantæque germinantis habitum, & formam utilissimis itineris observationibus posteris divulgavit. Notarat eandem in Aegypto Melchior Guilandinus, Borussus, eruditione, vegetabiliumque peritia seculi sui decus, quem piratis Mauritanis subductum, dignum habuit amplissimus Venetus Senatus, quem in Patavino Gymnasio Rei herbariæ præficeret. Natas è carpobalsamo plantas alebat in Creta Honorius Bellius, eximius Botanicus, quas Carolo Clusio alteri Belgarum Cratævæ, curiosè describit. Palmam tamen in hoc stadio currentibus præripuit Prosper Alpinus Marosticensis, in Patavino Athenæo Guilandini successor laudatissimus. Nam cum sub Illustrissimo Georgio Hemo, Venetæ nationis consule, triennium ultra in Cahiro Aegypti medicinam faceret, plantas è recentibus Balsami seminibus natas, singulari animi voluptate coleret, allatumque quotannis Opobalsamum ad sensuum rectæque rationis trutinam diligenter expenderet, quicquid olim inter principes veterum botanographos, Theophrastus & Dioscorides fando acceptum, atque ex his alii porrò monumentis literarum consignarant de balsami liquore, ad normam revocavit, historiamq; totam discussis ambiguitatum nebulis in clara luce reposuit. Iamque per Italiæ tractus peritia medicamentorum, & industriæ laude clariores pharmacopęi, adepti ex Arabia Opobalsamum & examine Medicorum præstantissimorum probatum, multis ab hinc annis, omisso succedaneo, regiis antidotis miscuerunt. Secuti laudabile horum exemplum in urbe Roma Antonius Manfredus, & Vincentius Panutius, primarii, spectatæque fidei aromatarii, & allatum ex Arabia balsami liquorem, à præside, consiliariisque clarissimi collegii Medici, tum quatuor urbis archiatris, aliisq; simplicium medicamentorum peritissimis viris exploratum prius, ac laudatum, Theriacæ miscuerunt. Postquam, confecta esset, fama salubritatis expetita plurimis antidotus, irruere ecce pharmacopœi aliquot, & permistum Theriacæ opobalsamum, falsum, fictitiumque clamantes, compositionem apud Pontificem maximum infamare, & tanquam picea transfixi Pythonis sanie corrupta fuisset, proiiciendam, Vulcanoque tradendam expetere, partim invidia alienæ prosperitatis lividi, partim metu agitati, ne paratas domi suæ Theriacas vilior

titulus, adeoque difficultas emptoris antiquaret. Amoliebatur fremen tium proterviam summus antistes, quæque singularis eius prudentia fuit judices cognoscendæ causæ viros delegit, quos faciendæ Medicinæ dexte ritate, virtutumque omnium ornamentis præcipuè cognitos habebat. Docere voluit incautos, non theologam; sed medicam esse controversiam neque litigiosis disceptationibus in Themidis foro implicandam; sed fre quenti, sedulaque rerum ambiguarum inspectione, atque inter se compa ratione dirimendam. Imò non alios sibi quærere doctores pharmacopœos debere, quam à quibus materia componendorum ipsis prescribitur, & ra tio pariter modusque misturæ præcipitur. At illos archiatrorum suorum auctoritate spreta, jam in gurgitem contentionum detulerat turbidus ani mus, adeòque amisso melioris consilii arbitrio, ne sine cortice deinde na tarent, patrocinium Stephani de Gasparis Medici Romani impetrarunt. Hic autem in re sibi incognita, funditùs subruenda, quantum ueri, justiq; finibus excesserit, unius Francisci Perlæ Medici Romani, docta pariter atque elegans dissertatio, & physicarum oppugnationum propulsatio, cla rissimè demonstrat. Imò ne soli in hoc controversiæ freto natarent Opo balsami delatores, tres item pharmacopœos Venetos ad suffragium sib ferendum impulerunt, quos cum Petrus Castellus, in Mamertinorum Aca demia Sicula, primarius rei Medicæ professor, acrius invaderet, eorumq; Theriacis inclementer diceret, ne vox & latera deesse viderentur à Pere grino Pitorio Medico advocationem quæsiverunt. Qui dum ex virorum doctissimorum scriptis, Opobalsamum falsum, fictitiumque eruere conatur Epistolas quoque meas ad Baldum Baldum in Romano Gymnasio practicæ Medicinæ professorem clarissimum, quarum una natalem hoc ęvo balsam terram, illiusque varietatem retuli: altera, probatum ab ipso Opobalsa mum, legitimum testabar, sic obvertit, contraque sensum meum detor quet, vt me non legitimum, sed terebinthina vitiatum, & communi tan tum Opobalsami nomine subornatum succum asservisse persuadeat. Hui ut paucis me declarem, partim Medicæ facultatis emolumentum exigit cui remedii utilissimi, de quo agimus, accessio debetur; partim fides, qua prudentissimis archiatris, in liquoris accusati probatione ingenuè datam pari constantia inviolatam conservabo. Aeternum illum bonorum omnium auctorem testatus, verique consciam mentem, me nihil hic, vel amicitiæ vel precibus dedisse; sed inscitia aliquot pharmacopœorum abiectum li quorem, iam ante inter Arabes à me sæpius observatum, & examinatum postquam cunctis decenter notis exploraveram, verum, legitimumque Opobalsamum pronunciasse. Proponam autem prius quid annos ultra quin que, dum in Aegypto sub Illustrissimis viris Aloysio Cornelio, & Ioanne Donato Venetorum consulibus, liberali stipendio medicinam feci, de Bal samo, eiusque liquore cognitum mihi fuerit, tum quod hic ipse receptum

antiquitùs

antiquitùs Opobalsamum sit, ex optimorum apud priscos autorum sententia, post eximium antecessorem meum, Prosperum Alpinum, brevibus subiiciam.

Est itaque plantæ Balsami natalis tellus Arabia, odorifera illa, dives, ac beatæ cognomine olim inclyta. Odorum enim ea circumfluit copia ut fastidium incolis pariat assiduitas voluptatis, imò καρηβαρίαν, gravedinem inferat capiti, quam priscos Asphalti nidore & tragopogone discussisse refert Strabo, eosdemque reges suos παρὰ τοὺς κοπρῶνας, circa sterquilinia sepelivisse. Divitias accumularunt auri glebulis, Beryllo Smaragdoque junctis, quibus metalla in confiniis scatebant. Potissimùm verò desideratæ Europæis populis mercis ingenti pretio, qua juxta cum Indis, & Seribus minima computatione, millies centena sestertium millia, annis omnibus Imperio Romano adimebant. Beatam faciebat, ut seriò conqueritur Plinius, hominum etiam in morte luxuria, cum honori cadaverum acervatim congererent, quæ Diis per singulas micas dabantur. Excitabat hæc eius felicitas, avidam apud summos dynastas, imperii dominiique sitim. Alexander Macedo ab Indis redux, Arabiam sedem sibi regiam constituere decreverat, jamque illius invadendæ prætextus dabatur, utcunque levis, ἐπειδὴ μόνοι τῶν πάντων οὐ πρεσβεύσαντο οἱ Ἄραβες, quod soli inter omnes, haud oratores misissent Arabes, summissionis aut amicitiæ nuncios. Vexabat eadem Augustum Cæsarem cupiditas, qui cum exercitu mittebat Aelium Gallum, ut regionem, & gentem perquireret, cum spem aleret certam, aut divitibus se amicis usurum, aut hostes superaturum intactis opum thesauris celebres. Nec voto tamen potitus Cæsar, quum Sylæus Nabataeorum legatus, patriæ, propriisque rebus studens, Aelium per ambages duceret, atque à pręda quam inhiabat abduceret. Strabo incolas μέγιστον ἔθνος, gentem maximam non injuria appellavit. Equidem ruente jam mole sua Romanorum imperio, quantum illius ex adverso gloria se protulerit, notum est ex historiis. Constantem Byzantii imperatorem pręlio profligarunt. Irenem, & Heraclium tributa sibi pendere coegerunt, cum Syria, & Palæstina primò, hinc Perside, atque Aegypto potirentur. Sub Abdalla Duce Africę maritima, sub Muza Hispaniam domarunt, vix integro seculo magnis triumphis Europæ universæ formidabiles. Quamvis autem Tomumbejo ultimo Aegypti, Syrięque rege à Selimo Turcarum imperatore deleto, Arabes quoque sub validam eius manum concesserint. Retinent tamen eximia priscæ virtutis documenta. Duodeni anni sunt, ex quo insatiabilem proregum avaritiam exosi, jugum Thracicum excutere ausi fuerunt, bis, dum in Aegypto persisterem, frustra bello petiti. Possederunt olim aromatum pretiosorum omne genus, sedulo cum propinquis Indis, & Aethiopibus commercio. Potissimùm autem odoratis in sylvis, collibus, montibusque propriis, Myrrham, atque ex eadem contusa modicè stillan-

tem

tem liquorem, veteribus ideò Stacten dictum. Maximè Olibanum, cui primos omnium Arabes commercium fecisse refert Plinius, tum بلسان Balsan ipsis dictam plantam, Græcis scriptoribus βάλσαμον, Balsamum, ex ea collectam singularis suavitatis resinam, quam دهن بلسان dhen balsan nominant, pingue quid ex balsamo, lentum, inungique aptum innuentes. Græci simpliciter Ὀποβάλσαμον, Opobalsamum nuncuparunt, sive Balsami succum, vocabulis deinceps à Latinis retentis. Nascitur, non in παραλίοις maritimis tantum, ut Strabo prodidit; sed etiam mediterraneis, editis, planisque locis, sine cultu, & cura hominum frequentissima. Vt Larimnum taceam, Straboni ἡδύοσμον θυμίαμα, suffimentum suavissimum, herbasque alias insigni fragrantia sensum narium demulcentes, quas ob habitum, moremque soli singularem, nobilis peninsula producit. Sedulam tamen Arabes ab omni ævo dederunt operam, ne stirpium apud se odoratarum notitia ad exteros pertingeret: idque palàm est in solo turis, cujus licet maximum proventum ad provincias vicinas extruderent; arborem tamen eiusque cultum studiosè celabant, cum tanquam Numini sacro venerarentur, certisque tantum, ac religiosis familiis incisionem caudicis committentes, ne conspectum quidem eius profanis indulgerent. Hinc ille circa turiferæ arboris faciem veterum scriptorum dissensus, aliis eam folio pyri, terebintho aliis, aliis lentisco similem tradentibus. Iuba Rex iis voluminibus, quæ scripsit ad C. Cęsarem Augusti filium, fama Arabii ut loquitur Plinius ardentem, eandem arborem intorti esse caudicis retulit, ramisque aceris Pontici, quę omnia ex Arabia venientes legati incertiora fecerunt, utcunq; virgis arboris in Italiam commeantibus. Nec minor veterum de Myrrha discrepantium sententiarum conflictus observatur. Arborem eius Iuba Olusatri similem tradidit, nonnulli Iunipero compararunt. Folium quidam olivæ contulerunt: liquorem ipsum myrrhæ è turifera arbore prodire memorabant. Vt haud immeritò expressa Plinio vox sit. Res in Arabia gessimus, & arma Romana in magnam eius partem penetravere, C. Cæsar Augusti filius gloriam indè petiit, nec tamen ab ullo, quod equidem sciam Latino, facies arboris tradita est. Eandem in cognoscendo Balsamo difficultatem experti fuere veteres, cum jam ad Iudęos, & Aegyptios translata planta, regiis tantum inhortis impenso studio coleretur. Hodiè, quando Christianos, non propter animi curiosi sagacitatem; sed religionis dissidium, hostili affectu persequuntur, quis speret, quicquam apud Arabes accuratiùs ab iis pervestigari posse? Vix Solymis liberius oculos circumtulisse advenæ Christiano impune sit; quantò minus in regione illa, quæ Mahometis incunabulis, & sepulchro, venerabilis præcipuè sectæ ipsorum habetur. Cœtus peregrinantium hominum, etiamsi communibus sacris addictorum, denos ultra dies apud se non ferunt; adeòque ne diutius subsistant, publico Setiffi edicto facessere jubentur.

tur. Primum Balsami plantas, è patrio sinu ad exteros detulisse ferunt, Sabæis Arabibus imperantem Reginam, cum eas Salomoni, sapientiæ fama longè clarissimo regi, inter alia pretiosa munera dono daret. Cuius rei cognitionem, etiam Iosephi Historici æuo, nondum memoria Iudæorum temporis diuturnitas exemerat. Attamen errasse largiter Iosephum contendunt, quod imperatricem Sabæorum, γυναῖκα βασιλεύουσαν τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Αἰθιοπίας, regnantem apud Aegyptios & Aethiopes mulierem scripserit, quum neutra harum regionum aromatum divitiis, auri, gemmarumque metallis olim claruerit. Neque Aegyptus in اقاصي الارض in finibus terræ priscis cognita sit, unde reginam illam venisse perhibet scriptura. Neque Aethiopia, quæ in Africa ad Austrum, & Occidentem se porrigit, Balsami unquam productione celebris fuit. De Aegypto Iosephum difficulter excusem; facilè de Aethiopia. Huius enim nomen omm une est locis omnibus sub fervido Sole positis, quibus, ut Cari nostri verba usurpem,

Degunt nigra virum, percoctaque secla calore.

taque veri simile est, ad Asiaticos respexisse Iosephum, non Africanos Aethiopes, quibus Arabes illi δαίμονες haud accensentur. In sacris utiq; scriptis, Græci codices Imperatricem illam, βασίλισσαν νότου, Reginam Austri designant; sed Iudææ respectu, idque communi Aethiopibus terarum situ. Pressiùs autem Arabum libri ملكة التيمن, meliket el Tamen, Reginam Tiamàn, sive Iamàn nominant, qua appellatione etiãum, Arabia felix omnis, & præcipuè qua parte ad latus Mechæ dextrum diffundit, hodiè gaudet: يمين Iemin enim dextram significat. Verum Arabibus Balsami stirpes subduxit Caitbeius, quibus hortum Aegyptium Matharię exornaret, Arabia tota bello domita, ut recentiore analium fide perhibetur. Hunc proreges deindè Aegypti plures secuti, pro singulos aut curiositas humani ingenii, aut omnia involandi auditas imalit. Collectum è Balsamo suavem liquorem, ab antiquissimis seculis, ad Persas, & Syros ante detulerunt Arabes, quàm in Regios Palæstinæ, atq; Aegypti hortos planta recepta fuit: adeoque nobile illud vulneribusque vandis expetitum צרי seri, quamvis communem resinæ significationem præ se ferat, à montibus Gilead (non semel annuentibus divinis Literarum monumentis) aliis cum mercibus in Palęstinam asportatum, hoc ipsum ex Arabia profectum Opobalsamum fuisse, claris auctoribus persuasum est. Ibant ex Arabia felici mercatores frequenter Damascum: nec longius à Sabæis ad ipsum Hierichūtis φοινικῶνα, seu palmetum, quàm diebus quinque iter, metitur Strabo. Cur autem Theophrasti ævo, & vigentibus imperii Romani rebus, Balsami curam susque deque habuerint Arabes in obscuro vetustas premit. Probabile tamen est, cum & Theophrasto superstite, in Syrię Palæstina studiosè jam excoleretur, & Cęsarum

tempore

tempore Balsamum sereret fiscus, neque unquam numerosior ante plan fuerit: imò sic propagatos in Iudæa balsamiferos παραδείσους asserat Sol nus, ut latissimis etiam collibus Opobalsamum exciperetur: adeoque a Arabibus non amplius peteretur, aut operę pretio merito vendi inter A gyptios, Syrosque non potuerit, ab iisdem ad Persas, Indosque propinqu fuisse delatum. Quin, cum ex aliis odoratis mercibus abundè quęstus a flueret, contingere potuit, ut labori parum utili supersederint Arabes, q tenui lentèque mananti lacrymæ, circa singulos ramulos sub ardenti so colligendę, atque abstergendæ impendendus erat, præsertim cum auctor Strabone, ἀργοὶ καὶ ῥᾳθυμοι τοῖς βίοις, segnes essent Arabes, vitamque cur & molestiis sejunctam agerent. At mutarunt se deinde rerum memoriæ Nam ut superius memini, cum gravi bellorum turbine, tum Palęstina tum Aegyptus affligeretur, jamque perditis cultoribus, alieno in solo no infeliciter hospitatæ Balsami plantæ, penitùs periissent: excitavit iterum Arabes ad cultum pretiosę stirpis, amissi proximis in provinciis Opobalsa mi desiderium. Longè verò magis, ex quo tempore, crebris Lusitanorum Belgarum, Anglorum, in sinum Persicum navigationibus, maximam par tem in Europam avehuntur gemmę, & aromata, quibus Syriæ, & Aegy pti emporia quondam Arabes ditabant, indigenis mercibus, gummi, ol bano, mirrhę, balsamoque diligentiorem operam navant. Has quocun que possunt pretio, Persis, & Meccam, quot annis commeantibus merca toribus divendunt. Concurrit in Aegyptum è variis imperii Turcici re gionibus, ingens hominum multitudo, ut ex veteri instituto, solennem versus Meccam peregrinationem celebret, adeòque حمل الكسوة, d portationem vestis. Sic enim appellant ex serico viridi, auroque pictum undique velum, quod præter alia ad Seriffum munera Byzantio mittit im perator, ut Mahometis in Medina sepulti monumentum cingatur. In profectionem Caravana sive cœtus peregrinantium, die decimo post Ra madani mensis festum, quadraginta in abitu transigens, totidemque i reditu. Defert secum in Cahirum Aegypti vestem Mahometis veterem cuius pars Byzantium ad imperatorem remittitur cum muneribus; parten prorex Aegypti sumit, atque inter proceres urbis dividit. Inter alias au tem merces, & textiles è Xylosericoque subtilissimos pannos, Opobalsam afferunt mercatores, Balsamique fructus, & ramos. Simplici omnium & constanti assertione, à quo tempore Selimus Imperator in Aegypto atq Arabia rerum potitus est, nullo non anno festiva ea peregrinatione, tum præpotentibus Turcarum monarchis, eorumque præfectis Opobalsamum à Seriffo transmisti, tũ in Mecca, & Medine, à quàm plurimis emptum, i amplissimi imperii urbes nobiliores deferri: quæ mihi quidem, & quot quot jam diu exactis annis in Cahiro Aegyptio degerunt Europeis homin bus certissima sunt. Ramuli Balsami, quos عود البلسان lignum Ba

sam

ſami, adeòque cum Græcis ξυλοβάλσαμον appellant, teretes ſunt, & recti, nodulis inæqualiter obſiti, externo corticis colore ſubrubro, interno viridi ligno candicante, medulloſo, ſuavem Opobalſami odorem attriti fractique reddentes. Quamvis illius, dum ſub inclementi ſole longo advehuntur itinere, multum ante reſolvitur, quàm in Aegyptum ramuli perveniant: plurimùm, antequàm in Europam: niſi recenter empti, ex Alexandrino portu ſecundantibus ventis citiùs adducantur. At fructibus, quos حب البلسان, baccas Balſami, adeoque καρποβάλσαμον nuncupant, ſingularis eſt magnitudine, figura, coloreque cum Terebinthi fructibus ſimilitudo. Calyculo innituntur exili, à rotundo ventre in utrumque extremum leviter attenuati. Membrana velantur exterius nonnihil ſtriata, fuſcoq; rubore decolorata, exili: reliquis indumentis denſioribus, ſub quibus ſemen aſſervatur, flaveſcente melleoque ſucco uberatum. Linguam guſtantis blando amarore atque acrimonia vellicant, & ſuavi Opobalſami halitu odoratum demulcent. Rugoſior ſeneſcentium facies, jamque exhauſto vetuſtorum liquore, ferè inanes intus folliculi deprehenduntur; jucundo tamen ſi terantur odore, conſumpti ſucci grata veſtigia diutius manifeſtant. Afferuntur hi fructus nonnunquam ſatis integri, ut non in Aegypto tantùm terræ commiſſi germina promant; ſed in hoc pariter inferioris Italiæ tractu, non ſemel plantas aliquot dederint Danioto noſtro, diligent ifeliciq; ſtirpium exoticarum cultori, cũ Illuſtriſſimi Dominici Mori Tarviſinum prædium, plantis lectiſſimis exornaret. Viderunt apud ipſum vegetam Balſami ſobolem, Eminentiſſimus Cardinalis Aldobrandinus, Petrus Aſſelinæus, & Gulielmus Sohierus, ille medendi peritia; hic Attica eruditione, florumque venuſtiorum ſtudio non è multis, manantem è folii decerpti pediculo fragrantem liquorem odorati. Conſpectum mihi optimę notę Opobalſamum, antequam in Orientales proficiſcerer provincias, Venetiis, apud Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Ioannem Iuſtinianum, nunc pro Sereniſſima Republica Veneta ad Ferdinandum tertium Rom. imperatorem legatum. Apud Pompeium Sprechium, virum optimum, atque inter Venetos aromatarios peritiſſimum. In Aegypto deinde apud Othomanum Abutalibem, Muſtafæ proregis vicarium, quod eo ipſo anno dominus à Seriffo Arabum dono acceperat. Reſina autem erat liquida, flaveſcens, pellucida, odore ſupra terebinthinam, eximiaq; ſuavitate grata. Sinceritatem eius, an adhuc illibatam judicaret, cum ſciſcitarer, guttam liquoris, aquæ amplo in vaſe detentæ inſtillabat, quæ momento diſparens, mox tenui atque albeſcente pellicula, ſuperficiem totam obducebat, quam cultri cuſpide iterum collectam educebat totam, piſſiorem, inodoram, & manifeſto coloris diſpendio lacteſcentem. Frequentius porrò ſingulis annis ex Arabia delatum in Cahiro vidi, & examinavi, præcipuè facem prælucente, Illuſtriſſimo civium Venetorum con-

ſule, Aloyſio Cornelio, viro cum antiquitatum Aegyptiarum diligentiſsimo inveſtigatore, tum Opobalſami, quod ſæpius in patriam mittebat, acri pariter, ac docto cenſore. Deferebatur à mercatoribus in lagenis, quibus derepentè apertis, qui nares admovebant, prodeuntē à liquore acrē halitū, vix præ moleſtia ſuſtinebant. Hujus quod ſuperiora vaſculi occupabat, tenuius ſemper, liquidius, clariuſque notavi; idque ſejunctum a partibus reliquis, vitroque puro conſervatum, halitu mox gratiore ſe commendabat. Minus clarum, ac tenue, quod medio vaſis continebatur, eoque minus adhuc, quod fæcibus proximum, nidore quodam injucundo fragrantiam odoris violabat. Legitimum ſincerumque judicabatur Opobalſamū, cujus gutta aquæ indita, mox per ſummum ejus tenuem in telam expandebatur, ſtyli deinde acumine integrè recolligebatur, evidenti pallore lacteſcens: quod odorem cum allati recenter Balſami fructibus, & ramulis eundem ſpirabat, amarore, & mediocri acrimonia linguam guſtantis perſtringebat. Cujus gutta lacti inſtillata, per ſuperficiem celeriter diffundebatur, cumque ſtylo revocaretur, concretæ ſecum lactis portionem ducebat. Denique veſte excepta gutta, quo primùm inſederat orbe perſiſtebat, neque in latum profundumque ſe ſpargebat, ſicque vel humida etiamnum, tepidâ ſubindè admotâ, frictuque leni tollebatur, vel ſiccata, digitorùm impulſu abſcedebat. Hoc non Veneti tantum noſtri; ſed Galli, Siculi, Angli, Belgæ, confidenter ſibi comparabant, cum non aliud, meliuſve foret, quod Theriacæ miſcebant Medici, qui in Moreſtano Cahiri pro imperatore Turcarum antidotum Andromachi componebant. Impellebat eos præcipuè quod ad virulentos ſerpentium morſus nihil efficacius pollere vno ore teſtarentur Arabes, apud quos frequentes eſſe has feras, καὶ δῆγμα ἔχοντας ἀνίκεσον, præter alios è veteribus, Strabo prodidit. Ad peſtilentis vtique veneni vim, aut abercendam, aut domandam, haud ſcio, utrum hoc ipſo, de quo loquor, balſami ſucco, inter magnates Aegyptios, vel uſu receptiùs, vel æſtimatione majus quicquam fuerit, cum nullo non anno, vel Tunetenſium, vel Byzantinis triremibus, Alexandriam primò, deindè & propinqua in oppida, lues inveheretur. Aſſumunt, aut ſimplicem liquorem, aut quod utilius eſt, pulvere probati adverſus peſtem medicamenti, largiore doſi permiſtum. In publicum prodeunt, nares eodem, & pectus, ſive præcordia delibuti: adjectoque Agallocho, & ambra, hypoglottides parant, quas ore diutius circumferant.

Mihi quoque volupe fuit, cum medicinam inter Aegyptios facerem, grato hoc, & familiari proceribus medicamento, frequentius uti. Expertus autem ſum eximium, & ſalutare, ad graves lienis, renumque obſtructiones ſummovendas. Ad impediendam, ſiſtendamque pulmonū putredinem maximè profuit, ſyrupo ſymphyti maculoſi dilutum, & arteriæ aſperæ crebro linctu inſinuatum. Compertum mihi idem ſucceſſu ſingulari, in

Al Manſore equite Arabe, diuturno renum ulcere laborante, cum id florum hyperici, roſarumque pulvere denſatum, boli forma ſumeret. Quantum purgandis, glutinandiſque vulneribus Naturæ opitularetur, magnis experimentis, etiam in vulgo percrebuit: noruntque rem optimè ludiones Ægyptii, cum ſtipem à plebe, horridioris ſpectaculi motu facilius impetraturi, laterum, brachiorum, pedumque cutem, plurimis hinc inde ſagittis ſibi transfigi patiuntur. In variis denique chronicis morbis quid præſtet, & quibus in cuticulæ cura blandiatur, Proſper Alpinus libro de Plantis Aegyptiis, pluribus complexus eſt.

Hunc itaque tam excellentem liquorem, à Mauro ſibi oblatum è Mecca redeunte, pretio admodùm tolerabili, emit in Cahiro vir honeſtiſſimus Coſmus de Nigris, per annos viginti quatuor Venetæ nationis in Aegypto pharmacopœus, integritate vitæ & artis ſuæ peritia inſignis: quippè cui penitiſſimè cognitum erat, hunc eundem eſſe Balſami ſuccum, quem tot exactis annis clariſſimi Venetæ, Gallicæque nationis conſules, & eorum Medici, modis propoſitis prius examinatum, patriæ proceribus, & amicis tranſmiſerant. Venetias reverſo Coſmo, non opus erat de hac nobili merce, ſuſpenſa, ut aiunt, hedera: protinus enim emptorem nactus eſt, à quo deinceps Antonius Manfredus, & Vincentius Panutius, pharmacopœi Romani, Opobalſamum hoc, in theriacæ componendæ uſum conſecuti ſunt. His verò concinnata jam antidoto, quas turbas dederint invidi æmuli, tetigi ſuperius. Quorum ob pervicaciam factum eſt, ut tantum non projecti cum theriaca liquoris partem, opera reverendiſſimi Epiſcopi Tomaſini, Patavium ad me curaret Baldus Baldus, vir animi, ingeniique cultu laudatiſſimus. Poſtulabat, ut poſthabitis amicitiæ lenociniis, quid de liquore judicarem, liberè, & confidenter proferrem.

Mihi nefas viſum eſt, æquiſſima petenti, obſequium haud præſtare, correptamque avidè, quamvis etiamnum familiarem oculis, naribus, & palato lacrymam, obviis mihi domi, & apud amicos, balſamicis reſinis comparavi, & poſtquam notis omnibus ad amuſſim exactis, animi ſententiæ reſpondere comperi, legitimum Arabici balſami ſuccum, ipſumque adeò cognitum antiquis Opobalſamum pronunciavi, & ob eandem tum ſubſtantiæ, tum qualitatum facultatumque rationem in præſenti publicè pronuncio, & obteſtor. Vt autem è ſolidis ducam fundamentis, idem eſſe Arabum, & quod priſcis innotuit Opobalſamum, Dioſcoridem veluti Cynoſuram ſequar, Galeno judice, ὃν τοῖς ἐπιχειροῦσι πραγματεύεσθαι οὐδενὶ δεύτερον, eorum qui circa materiam medicam verſantur, nemini ſecundum: eodemque auctore omnia perfectiſſimè complexum. Vtpote, qui ſingulis notas addiderit, quib⁹ probatiora a viliorib⁹ maximè diſtingui poſſunt. Nō deflexit ab hoc ſidere oculos Abēſina, inter Arabes ſive numine, ſive nomine verè quondā princeps: quāvis barbarus eius interpres, plurima vitioſè.

Latinè transtulerit, nulla non interpolaverit, quædam negligenter omiserit. Dioscorides itaque libri primi de materia Medica, capite decimo & octavo sic infit.

Βάλσαμον τὸ μὲν δένδρον κατὰ μέγεθος λυκίου, ἢ πυρακάνθης βλέπεται.

Balsamum quidem arbor, secundum magnitudinem lycii aut pyracanthæ cernitur.

Natum apud Arabes Balsami nomen, apud quos nata planta, neque à Syris, Aegyptiis, Græcis veteribus, ac Latinis alteri propriè stirpi tributum fuit. Recentiores tamen, audaculi nominum usurpatores, & alpestre ledum, & æmulos præcipuè Opobalsami liquores ab Indis petitos, & quicquid oras vulnerum efficaciter iungit, sive simplicis naturæ succus, sive mistus sit, balsami nomine insigniunt. Arborem asserit balsamum Dioscorides, & ante ipsum Theophrastus, sed exiguam, & fruticis potiùs humilitate summissam, utpote, quæ Lycii aut pyracanthę altitudinem, id est, pauculorum cubitorum mensuram haud excedat. Abensina, قامتها قامة شجرة الحضض, altitudinis arbusculæ Lycii tantum meminit.

Tale Arabicum nostrum est, ut confirmant quotquot illud in natali terra conspexere, adeoque verè Strabonis sensu φυτὸν θαμνῶδες, planta fruticosa, ultra ligustri, aut cytisi adolescentiam sese non extollens. Magnitudinem tamen variat, non alimenti solùm ubertas; sed etiam cultus, atq; ut Theophrastus suggerit, ἢ τῆς ῥάβδων τομή, ramorum amputatio: quum fieri nequeat, crebrius coercitis frondibus, ut satis sese explicet plantæ germinantis impetus. Subiicit porrò Dioscorides

Φύλλα ἔχον ὅμοια πηγάνῳ, λευκότερα δὲ πολλῷ, καὶ ἀεθαλλίστερα.

Folia habes similia rutæ, candidiora verò multo, & perpetuò magis virentia.

Comparatio foliorum balsami cum rutâ, optimè in Arabicam plantam expetit. Fundamentum similitudinis, partim in ordine foliorum locatũ est, partim magnitudinis disparitate. Impar enim eorum consessus est, ternorum, quinorum, septenorum, tum extremum cauliculi sui quod occupat, cæteris amplius est, à quo reliqua ex opposito sespectantia, quò remotiora sunt, eò contractiora ambitu cernuntur. Forma ipsa foliorum à rutaceis aliena non est; rei tamen herbarię periti qui oculis usurparunt singularem in ea cum terebintho, & lentisco convenientiam deprehenderunt. Colorem in foliis ruta multò candidiorem asserit Dioscorides. Theophrastus simpliciter ἐκλευκον, exalbidũ: Abensina اضربها الي البياض vergere ad albedinem scripsit.

Varietatem hanc coloris, & cultus parit, & locorum mutatio. Major equidem in sylvestri balsamo foliorum candor est: minor in hortos translati. In Aegypto educati jam saturatior, magisque lætus viror existit: maximè illius, quod in Italiæ hoc tractu, è seminibus Danioto nostro pullulavit. Discrimina eadem etiam propinquioribus è locis in hortos ad-

missæ

missæ patefaciunt plantæ, erigerum, polium, verbascum, dictamnus Creticus, potentilla, medica marina, aliæque plures. Denique perennantibus magis foliis præditum esse balsamum, imò Theophrasto auctore ἀειφυλλον, dubium non est, climate Arabiæ perpetuo stirpium virori fauente. Non indulget eum aliarum regionum acrior hyems: ut etiam in Aegypto viciniore, folia per Septembrem Balsamo defluxisse viderit Bellonius; sed cuius nova jam cum foliolis germina juventæ spem redintegrabant.

Γεννώμενον ἐν μόνῃ Ἰουδαίᾳ κάτι τίνα αὐλῶνα, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ.

Genitum in sola Iudæa in quadam valle, & in Aegypto.

Vallem hic intelligendam esse Hierichuntis, Strabone, Iustino, & Iosepho auctoribus persuademur. Erat ea montibus undique veluti muro, castrisque clausa, & insignem ob amœnitatem, sylvarum palmas ferentium amplitudinem, cultumque duobus in hortis balsamum, digna Archelao visa, quam ulterius regia sede exornaret. In ea valle sola balsamum fuisse, cum Theophrasto refert Dioscorides, colligitque pretii inde magnitudinem Strabo, ὅτι ἐνταῦτα μόνον γεννᾶται: quoniam ibi solùm nascitur. Neque implicat rem Iosephus, qui & Hierichuntis vallem balsami feracem scribit, & Engadinum agrum egregia complecti palmeta, & opobalsamum. Quamvis enim haud unum Engadi, & Hierico locum designent; notum tamen est, ex D. Hieronymo, Eusebio, aliisque claris auctoribus, in Hierichuntis aulone comprehensum fuisse Engadi vicum: Iosephumq; adeò ab urbe pręcipuâ Hierichunte balsami hortos designasse, quamvis duobus, nec multum tamen dissitis locis sejungerentur. Galeni tamen ævo, non una tantum in valle; sed diversis Palæstinæ locis obvium fuisse Balsamũ, cùm & Sagadini meminerit, & ὄντων ἐν ἄλλοις χωρίοις παλαιστίνης, eorum quæ in aliis Palæstinæ regionibus, credere par est, simul cum lucri cupiditate, plantæ colendæ studio crescente.

In Aegypto etiam nasci balsamum addit Dioscorides, veroque simillimum est, à Ptolomæis, & potissimùm Cleopatra, cum teste Plutarcho Iudæę regionem balsami feracem à M. Antonio triumviro in donum accepisset, translatas in Aegyptum fuisse plantas, in luxum, & delicias diffusæ mulieri, multis nominibus expetitas. Imò placuit earum cultus ad nostra usque tempora, quoniam dominantibus in Aegypto Califfis, & præcipuè rem publicam administrantibus hodiè proregibus, sive Bassis, non è Palæstina quidem; sed Arabia frequenter repetitæ fuerunt. Abensina Aegyptiam adeò nominat plantam balsamum, gignique tantum, ait, in loco يقال له عين الشمس, quem appellant oculum, aut fontem Solis. Imò illo ipso, quem المطهريا, locum lustrationis Christiani Aegypti indigenę nuncupant, non tam ad corporis, quàm animi scabitudinem expiandam, religione celebrem fontem exhibens, cujus salutaribus riuulis peregrinam hanc, nobilemque balsami stirpem insigniter profecis-

se,

se, etiam adversa christianæ pietati pectora non diffitentur.

Periisse autem in Palæstina jamdudum balsamum, publica magis fama diuulgatum est, bellis atrocibus cum ipsis hortis cultores perdentibus. Periit sanè frequentius in Aegypto, quia proregibus qui paucis annis ad clauum imperii sedent, sepè nihil minus quàm balsamum curæ est: præsertim ex quo lignum eius, & fructus, & liquorem copiosius Arabia suppeditavit. Cæterùm quod olim de Palæstina Theophrastus, id de Aegypto multo magis accipiendum est, sylvestre in ea Balsamum nuspiam repertum. Nec favet satis plantæ regionis habitus, quippe quæ non collibus acclivis; sed ab utraque Nili ripa in planitiem æquatur.

Διαφέρον ἀυτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι. λέγεται γοῦν τὸ λεπτὸν, καὶ περιχῶδες τοῦ θάμνου, θερισόν. Ἴσως, διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν.

Præstans à se ipso asperitate, & tenuitate. Dicitur itaque tenue, & capillaceum fruticis, demessile; forsan quia facilè demetatur, gracile existens.

Scribit eadem Abensina, & يختلف بالخشونة والطول والرقة præstat, inquit, asperitate, altitudine, & exilitate sua; quamvis interpres Latinus verba hæc omiserit. Atque hanc etiam in ramis Arabici Balsami varietatam facilè deprehendet, quicunque fascibus illius Meccano itinere in Cahirum delatis, manus oculosque admoverit: imò vel uno in fasce differentes amplitudine, asperitate, atque exilitate frondes agnoscet. Quamvis enim verè Theophrastus, ὅσα τῆς οἰκείας χώρας λαμβάνει, μᾶλλον δύνατα τὰ γένη διατηρεῖν: magis servare genera sua posse, quæ familiarem sibi locum nacisuntur. Asperior tamen, etiam constante sibi specie, balsami habitus fuerit, si parcior aridam terram humiditas temperet, aut de tenuiore alimento plus justo subducant, illa ut cum poeta loquar

..... *æstivi radiantia tela diei.*

Nutrimentum item æqualem sicci humidique misturam haud obtineat. Lætius balsami incrementum est, cum frequenti cultu, sylvestrem, ut ait Maro, animum exuit. Ἀθρωοτέρα γὰρ εἰργασμένων ἡ βλάστησις: plenior enim magisque conferta cultorum germinatio.

Accedit etiam magnitudini plusculùm, quotiescunque succi plenum terræ altricis uber, jam rariorem, humidioremque materiam efficit. Exilius conspicitur, & capillacea surculorum tenuitate facilem tonsuram admittit, quod minuta sobole propagationem sui consequitur. Hoc robustioris pariter stirpis notam exhibet, nec sylvestrium moris adhuc oblitæ, quibus inter alia tribuit Theophrastus, ἐν πολλοῖς εἶναι, καὶ μικρὰς τὰς μονίμους ἀρχὰς: numerosa obtinere, minuta germinum permanentium principia. Quæ verò Plinius hic de balsami speciebus adstruit, optimè expendit Cl. Salmasius, vir summus, quem in exercitationibus ad Solinum operæ est consulere ipsum

Τὸ δὲ ὀποβάλσαμον λεγόμενον ὀπίζει ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασιν ἐντεμνομένου σι-

δυροῖς ὄνυξι τοῦ δένδρου ῥεῖ δ' ὀλίγον, ὡς καθ' ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἑπτὰ χοᾶς συναθροίζεσθαι. Πωλεῖται δὲ ἐν τῷ τόπῳ ὅθεν ἐστὶ διπλοῦς ἀργύριον.

Opobalsamum verò dictum excipitur sub canis ardoribus, incisa ferreis unguibus arbore. Fluit autem modicum, sic ut singulis annis non plus quam sex aut septem congii colligantur. Venditur in loco (quo nascitur) argenti duplo.

Iam liquorem balsami proprium, quem communi ὀποῦ succi nomine compellatum innuit Dioscorides, in quo censu habuerint veteres, optimè traditum est à Theophrasto. Nam cum proposuisset insitum plantis humorem, τὸν μὲν πάχος ἔχειν μόνον ὥσπερ τὸν ὀπωδῶν: τὸν δὲ καὶ δακρυώδη γίνεσθαι, καθάπερ ἐλάτης, πεύκης, τερμίνθου, aliorum crassitudinem tantum obtinere, ut in succulentis: aliorum etiam in lacrymæ modum gigni, ut abietis, pini, terebinthi, & similium. His subiungit olibanum, & myrrham, quandoquidem & ipsa, inquit, lacrymę sunt: itēque βάλσαμον, καὶ χαλβάνη, balsamum & chalbanam, & si quid aliud tale. Hæc eadem ἔυοσμα benè olentia scribit, utpote quæ πιότητα τινὰ, καὶ λίπος, pingue quid habent, & unctuosum, exactiore coctione discussis partibus aqueis, â quibus odorati halitus obtunduntur.

Δάκρυον itaque sive lacryma est balsami succus, sed lacryma pinguis, & oleaginosa, adeòque ab ipso protinus ortu, γάλακτι γλιχῷ παραπλήσιον, lacti viscido, ut refert Strabo, similis. Imò resina est opobalsamum, quam à gummi, (quod ipsum lacrymis pariter annumerat Eresius senex) pinguior, & oleosa magis substantia distinguit. Hinc resinarum in modum, & oleo promptè miscetur, & in flammam ignis contactu facilè sese explicat. Dudum in lucernis adhibuisse opobalsamum veteres, & ex iis Eliogabalum perditæ prodigalitatis principem, auctor est Lampridius. Inter Christianos item dynastas Constantinum imperatorem; sed sacros in usus, & religionis venerationi dicatum. Abensina, & cum eo recentiores Arabes omnes, elicitam balsami resinam دهن dohen nuncupant. Qua voce, licet, ut supra scripsi, aliquod illini, injungique aptum exprimant, adeòque pinguem, & oleagineum liquorem: imo unguenta ipsa, ut balaninum, cyprinum, myrthinum, liliaceum. Non erat tamen, cur interpres latinus eam olei magis vocabulo designaret, quod الزيت zeit, communi loquendi usu; non dohen nuncupatur: idque etiam de Græca βαλσαμελαίου voce habendum est.

Hanc itaque substantię conditionem exactissimè refert his quem asserimus Arabici balsami liquor. Lacryma enim est; sed resinosa, facilè tum oleo miscibilis, tum inflammabilis igne. Non tantum postquam à genetrice planta depluit; sed in ramulis etiamnum, & seminibus obhęrens, γλιχρὴ, tenax, & lenta, quæque cum eliquata est, turbida visciditate lactescens conspicitur.

At liquor hic, primùm ipsius naturæ providentia hominibus innotuit,

com

cum salutari quadam excretione succi redundantis onere se levaret, quemadmodum in picea, terebintho, lentisco, similibusque consuevit. Notavit rem inter priscos auctores Theophrastus, qui veluti myrrham, & olibanum; sic opobalsamum etiam αὐτομάτως γίνεσθαι, sponte fieri, tradidit. Id verò cum paucum admodùm, & lacrymas salutares expetentium desiderio minimè sufficiens sit, ars sedula naturæ imitatrix, partim perita corticis incisione, partim succulenti seminis expressione, partim caloris ministerio liquorem proliciendo, majorem eius copiam sibi comparavit.

Incisionem arboris balsamici declinante jam æstate in Palęstina, & Aegypto peractam fuisse memorat Dioscorides,

---- *rapidos cum Syrius ignes*
Exserit ---- Abensina بعد طلوع الشعرى post ortum canis id factum confirmat, tempore satis huic operi convenienti. Tolerabilior enim tunc circa plantàm mora, cum spirantibus ab Aquilone jucundis auris, æstus aeris mitescit; cum succus à sole, dum circa Tropicum æstivum versatur, optimè concoctus, validusque etiamnum calor est, qui spiramenta balsami laxet, & exsuperantem humorem ad exsudandum compellat. Non obligant se tamen Ephemeridum legibus Arabes. Nam cum stirpes balsami validas possideant, æstatem præterea sex mensium spatio productam, non semel; sed sæpius eas ad lacrymas fundendas incitant. Percussas quoque in Palæstina ter omni æstate fuisse refert Plinius, cum maior esset succi colligendi auiditas. In Aegypto, vel mense Martio artificem plagam admiserunt. Nec summa tantum flagella petunt incisores; sed etiam stipitem, atque ut Theophrastus loquitur, καὶ τὰ σελίχνη, καὶ τὰ ἄνω.

Instrumentum quo cortex balsami solvebatur, ungues fuisse ferreos, tradit cum Theophrasto Dioscorides. Abensina simpliciter بمشرط بحديد vulnerari ferro scribit. Vsi aliàs vitro antiqui, & ut Iosephus testatur ὀξεσι λίθοις acutis lapidibus. Arabibus recepti sunt eburnei cultelli, ut minus penetrabile, minusque noxium vulnus faciant. Nec ferrum tamen odit natali in solo educata arbuscula. Ab eo enim quemadmodum superfluorum amputationem; sic plagam etiam, quæ clementi impulsu corticem tantum dividit, absque discrimine patitur. Itaque de validiore ferri vi, accipienda Taciti verba, & de uulnere quod in lignum, & medullã, adeòque vitalia adactum fuerit.

Facta corticis solutione, sequitur lentæ, tenuique ploratu manantis lacrymæ collectio, eaque non paucis ab illato vulnere diebus; sed vt Theophrastus meminit ὅλον τὸ θέρος, æstatis decursu toto. Stillantem à planta liquorem vasculis, & conchis parvis, ut ait Strabo, exceperunt veteres, defluentis eiusdem aut hærentis abstersionem lana perficientes. Abensina مجموع ما يرشح بقطنة colligitur, inquit, id quod exsudat gossipio. Faciunt idem Arabes, nec dubium munditer sic haberi, & in-

quinamen

quinamentis minus obnoxium fieri.

Per seminis expressionem collectum olim opobalsamum, nec purum satis, nec sincerum fuisse, non difficulter persuadeat Plinius, qui misturam eius cum stillatitio, adulterii crimine infamat. Recepta magis subsequentibus seculis opobalsami per ignis operam collectio, ramusculis & sarmentis demessis, & aquæ incoctis. Prodidit eam dudum ex Arabibus ipsis Mesuè, clarissimus Medicus, & Damasco patria locis balsami natalibus propinquus. Certiùs eandem asserebat, è primariis Cahiri Medicis, Ahmet Habibus Lusitanus, Cl. Ludovici Mercati olim auditor, qui repetita peregrinatione Meccam, & finitimas al Iamini provincias lustrarat, & maximam liquoris partem elici ramis, frondibusque plantæ (quo tempore plenior est, gemmulisque prominentibus formosior) demessis, concisis, & contusis. Demitti eos in vasa ampla, aqua à subiecto igne jam calente plena: tumque leni decoctione, pinguem, aeriumque succum aquæ summum petere, quem cochlearibus curiosè separatum, calentem adhuc vasis lagenisque recondunt. Cum nihil amplius in aquæ superficiem effertur, exemptam congeriem, ut superstes humidi resinosi portio, violenta compressione elidatur, torculari subiici. Qui decoctione blanda sic eductus est liquor, eum postquam per ætatis veluti gradus ad vigorem pervenit, tum qualitatibus, tum agendi viribus stillatitio proximum esse; tenui tantum amariusculi saporis, & fragrantiæ remissioris discrimine relicto. Sequioris autem conditionis commemorabat, quod à coctione frondibus expressum, valida coactione terreis simul partibus propulsis. Facilius denique, citiusque sic opobalsamum colligi, quam lento guttæ ploratu, non tam ob succi levitatem, quàm ejusdem in ramulis etiam extremis foliorumque neruulis singularem ubertatem, secus atque in aliis plantis, resinas propinquis in montibus eliquantibus, obtinere deprehendimus. Apud Indos, quid in odoratis hujusmodi resinis colligendis fiat, à Monardo jamdudum, aliisque recentioribus proditum est.

Sed revertimur ad Dioscoridem, qui de stillatitio locutus cum Theophrasto οὐκ ἐν πολὺ τὸ ῥέον, non esse multum, inquit, id quod fluit, cum singulis annis, non plures, quàm sex septemve congii colligerentur: quæ non immeritò Cl. Salmasio mira videntur. Quamvis enim Alexandri Magni ævo, quo Theophrastus vixit, in utroque Palæstinæ paradiso, quatuordecim hemichoeæ; id est, septem congii annuo proventu complerentur; vero tamen similius est, longè majorem eius copiam fuisse Dioscoridis ætate, qui vel paulò ante Plinium vixit, vel eidem, ut eruditis quibusdam visum, σύγχρονος fuit, cum non Græcis tantum, & Asiaticis; sed Romanis, vigente iam cum imperio luxu, expeteretur: adeòque ex re ipsa lucri certitudo publicam magistratus curam excitaret, & Dioscoridem hic, non quid opobalsami annus tempore suo tulerit; sed quid Theophrastus scripserit,

ſpectaſſe. Non minus ſuſpectum eſt, cum de Aegyptio loquitur Abenſina interpretem Latinum quinquaginta librarum mentionem facere vſque ad ſexaginta, quod pondus parum abeſt à ſeptem congiorum menſura, quam regiis Paleſtinæ hortis cum Theophraſto adſignarat Dioſcorides. Equidem ſummam hanc non determinat codex Arabicus Medicæus; ſed apertè ما يجاوز في السنة ارطال, non permeant in anno aliquot libræ. Eſt autem retolo, Giggeio quidem libra duodecim unciarum; in hodiernis tamen Aegypti Fagamiis ſeu Aromatopoliis, pondus centum & quadraginta drachmarum. Itaque cum nihil hic determinatum agnoſcam, hortique al Matahariæ non adeò laxum ambitum ſciam, interpretis veſtigia nec ſequor, nec aſſequor. Equidem Plinii æuo, abundantius apud Iudæos opobalſamum proveniſſe, dubium ex eo non eſt, cum validiores, majoreſque ſcribat tunc fuiſſe plantas, & ter omni æſtate percuſſas. Largior item ſeculis ſequentibus copia reperta eſt, cum ex Aegyptiis fundis, ut refert Anaſtaſius bibliothecarius, templa Romana centum & ſeptuaginta Opobalſami libris, Conſtantini imperatoris beneficio fruerentur: quamvis probabilius ſit, cum Aegyptus alendo balſamo parum idonea ſit, neque alibi quàm intra Matahariæ conſeptum plantam educaverit, aſſiduo cum propinquis Iamini populis commercio, liquorem illius prædiis Aegyptiis affluxiſſe.

Quid Arabes tandem? apud quos, licet odoratæ huius reſinæ annuam συλλογὴν, certa definire menſura non liceat; inſignem tamen eos opobalſami proventum hodiè poſſidere, tam emolumentum arguit ingens, quod ex locatis balſami arbuſtis ad Seriffum redundat; quàm mercatorum multitudo, qui ſingulis annis, in Perſici, Turcicique imperii provinciis illud diſtrahunt. Ex eo verò minimum eſt τὸ αὐτόῤῥυτον, quod ſponte naturæ laxato, ruptoue cortice manavit: exiguum item tenuior ſtillatitii per inciſionem educti portio, & veluti flos, regiis tantum, magnorumq; procerum manibus deſtinatus. Major autem eius, quod repetito caudicis frondiumque vulnere fluxit: præcipuè quod ignis miniſterio comparatum, cujus maximam colligi partem Habibo auctori acceptum refero. Longè profectò ampliorem Opobalſami copiam Arabes promerent, ſi Europæorum ſtimulis ad culturam numeroſarum ſtirpium eius incitarentur. Nunc quandoquidē ſuccedaneis antidota inſtruere uſus obtinuit, adeoque pauciſſima Opobalſama expetantur, & cognoſcantur, ſatis habent Arabes, ſi tantum odorati huius ſucci colligant, quantum magnatibus ſatis eſt, & facilis emptor abducere denuò, venumque præbere poteſt. Oblatum illud tamen ultrò Venetis mercatoribus, ſepè cum in Aegypto degerem vidi, neque inopiam eius incidiſſe memini, præterquam in publicis provinciæ turbis, quæ Anno clɔ. lɔc. xxxi & ſequentibus, Arabes & Seriffum involuebant.

Olim ut cum Theophraſto refert Dioſcorides, argenti duplo rependebatur

batur, cum prodiga odorum voluptate deliniti mortales, non capillis tantum; sed toto corpore unguentis maderent: cum eadem in potus adderent, & in castris quoque miles, pulverulentas, custodiisque horridas aquilas unguentis corrumperet. At non ea Persas hodiè, Turcasque vexat insania, quibus in Valetudinis ferè commodum Opobalsama placent. Fœminæ cultus sui causa rarò eadem admittunt, ligustro, Stibioque contentæ: non ignaræ, tunc se magis placere viris, cum minus olent. Defunctorum tamen honori aliquid Opobalsami datum novi, non corpori universo; sed locis putredinem spirantibus cum gossipio admoti. Moderatum itaque rei apud Arabes pretium, quæ nec avidè adeò diripitur, neque in numerosarum hodiè plantarum fœcnnditate, postquam ignis opera addita est, adeò laboriosè, difficulterque conquiritur, ut Cosmus noster in Cahiro, cum fortè copiosiùs adferretur, mercatore pecuniarum indigo, libram opobalsami, scutato nummo comparare sibi potuerit.

Ἔστι δὲ καλὸς ὀπὸς ὀπρόσφατος τῇ ὀσμῇ ἔυτονος, καὶ εἰλικρινὴς, καὶ μὴ παροξίζων, ἀδιέτος, λεῖος, σύφων, καὶ δάκνων μετρίως.

Est autem bonus succus, qui recens, odore validus, & sincerus, & non subacidus, facile solubilis, lævis, adstringens & mordens modicè.

Subjungit porrò Dioscorides, quæ succi balsamici bonitatem, & virium adeò incolumitatem arguant. Ac primo quidem ὀπόσφατον laudat, sive recentem. Optimo jure! quis enim haud fateatur calidiora esse, spirituumque pleniora, quæ ortui suo proqinquiora sunt? Nec tamẽ hic recentissimũ, & â matre sua etiamnum calentem laudat, quem veluti maris, terrarumque ingens intervallum nobis denegat; ita nec idoneam satis adversus morbos operam præstare posse constat, utpote qui πριπθωματικώτερος, ut cum Aristotele loquar, partiumque nondum â calore insito mitigatorum multitudine ἀκατέργαστος: turbidus adeò, & digestionis ulterioris indigus. Alexius Comicus eleganter,

Ὁμοιότατος ἀνθρώπῳ οἴνῳ τὴν φύσιν,
Τρόπον τίνα ἐστί. Τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
Πολλὴν γ' ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρα ἀποζέσαι
Πρώτισον, ἀφυβρίσαι, καθαρθῆσαι, πάλιν
Σκληρὸν γενέσθαι -----

Similimam, inquit, hominis, & vini naturam quodam modo esse. Vinum enim nouum, & hominem, valdè necessum est defervescere; primùm omnium sordes & spumam ponere; tandem asperum fieri. Idem in hac nobili resina obtinet, quæ tunc demum nativam indolem exserit, quando ingeniti caloris auxilio superfluorum impedimenta abiecit, ut recens hic nobis sit, non quod nuper collectum est Opobalsamum; sed quod â peracta digestione qualitatum suarum perfectionem adeptum est, ex crasso tenuius, ex turbido clarius evasit, post albidum, & virescentem, aureum colorem induit.

Alterum, quod in liquore nostro requirit Dioscorides, est τῆς ὀσμῆς ἰσχύς odoris validitas. Hæc enim Galeno judice, certum præstantis integræque naturæ argumentum in medicamentis præbet, adeòque substantiæ aeriæ, & igneæ vigorem spondet. Acutissimus autem in fervescente odore est, quippe quem acris admodùm, & fervens halitus vehit: mitior jam digesti: debilis, & obscurior in eo, quem τοῦ χρόνου ἄδικος ἰσχὺς. iniqua temporis vis, ut Sotades loquitur, senectusque labefactavit. De odore Opobalsami, nil adeò mirum prædicant, quos hic seqnimur principes auctores. Dioscorides lignum eius ἡδῶδες, benè odoratum scribit, ipsumque adeò succum ἐν μύρων σύμμασι, spissamentis unguentorum addi. Galenus balsamum partium tenuium asserit ἐως τῆς ὀσμίας, ad odoris usque bonitatem. Inter Arabum proceres Abensina سبيهة الريحة بالسداب speciem odoris rutaceam pronunciat. Theophrastus odoræ jucunditatis apud priscos arbiter optimus, Ὀποβάλσαμον διαφόρωτι φαίνεσθαι κατὰ τὴν ὀσμίαν. Opobalsamum præstans quid videri, odoris seu bonitate, seu vigore. Ramos item & fructus balsami, odore valdè seu grata, seu valida judicat. Neque Hercules iniuria. Nam cum lacrymas arborum omnium resinas fundentium, ὀσμοὺς benè odoratas appellasset: inter resinas verò terebinthinã ὀδεσάτην, odore gratissimã: quidni balsami liquor ipsi præstans quid, & excellens visum fuerit? qui utcunque terebinthinæ odorato halitu cognatus admodum sit, fragrantiam tamen, etiam cum notæ optimæ non est, spirat omninò majorem, adeòque inter odoratas merces, in priscis mycopoliis eximiam. Priscis dico, quibus apud Theophrastum σπουδαιότατα ἐν μύρων, elaboratissima unguenta, Cinamomo, styrace, nardo, amomo, cypero, myrrha, croco, iride, cardamomo, amaraco, loto, anetho, similibusq; componebantur, adeoq; opobalsamum, nõ optimis, & fragrantissimis; sed vel mediocriter olentibus unguentis adulterari potuit, ut in Diocoride clarum est. Cumque non odore tantum jucundo placeret; sed medendi quoque virtute, nulli antiquitùs cognito remedio opobalsamum cederet, quid miremur, scripsisse Plinium liquorem hunc suavitate, utilitate, pretioque tam insignem, omnibus odoribus præferri? Flavium quoque Iosephum balsamum ἐν ἱεριχοῦντι τιμιώτατον, rerum in Hierichunte obviarum pretiosissimum existimasse? Non hæc tamen impellere Clarissimum virum, Petrum Servium debuere, ut opobalsamum laudatis hoc ævo præcipuis odoribus præferret, quibus locellos suos dum farcit delicatior sexus, non ineptè sibi videtur,

—— ceu nectare poto
Efflare ætherei immortalia munera succi.

Disuadebit enim rem omnem quisquis discernendis odoramentis, non tantum rationis trutinam; sed benè temperatum quoque sensum attulerit. Mihi quidem selectius opobalsamum odoranti (odoratus autem sum frequenter,

quenter) eximiam semper, fragrantiam ingessit optimi olibani, myrrheque ὀδόσμια superiorem. Non eam tamen, quam simplicis vel ambræ, vel moschi eminus perceptis odoribus prætulerim, quos gestantiũ corpori, aut vestimentis conciliant. Non jucundis Hermeticorum, qui hodiè, multis liquoribus: ne supra Sambac quidem Arabum, & Ab el moschi seminum quamvis magis obviorum, suaveolentiam extulerim. Habeat opobalsamum limatissimo Theophrasti judicio præstans quid, & odore excellens, sed inter ὑγρότητας δακρυώδεις, lacrymales humiditates, quales abietis, pini, terebinthi, lentisci, olibani, myrrhæ, & si quas hujus ordinis alias Eresia Suada recenset, longè retro actis seculis cognitas.

Cæterùm odora succi balsamici gratia, non eodem gradu sensui humano blanditur. Summam in eo perhibent, quem pollens viribus suis natura sponte exclusit, virtutum omnium perfecta collectione pretiosum. Validior item, magisque jucunda spirat in tenuiore, & puriore parte illius, qui ab artifici plantæ vulnere manavit: minor in crassiore, quæque cum fæcibus suis diutiùs colluctata. Suavissimus Opobalsami odor quem vegeta juventus spargit: languidus & immitis illius, quem senecta iam ætas cõfecit, verè Aristophani ὥσπερ βωμὸς, καὶ ἐργαστήριον ὅλῳ κακῶν, velut ara, & ergasterium malorum. Norant etiam antiqui, majorẽ esse eiusdem fragrantiam, si lacryma semen præcessisset; à summis potius virgulis, quàm imo caudicis prodiisset, iisque in aprico magis & collibus, quam umbrosis, & oriente sole aversis locis educatis. Gratius semper, & clarius Opobalsamum observavi, quod pedes, aut eques è Mecca attulerat; quàm quod longo itineris tractu, cameli dorso vehementiùs agitatum fuerat. Nec dubium mihi ullum, regionum quoque diversitatem, odoris aliquod discrimen olim peperisse, quum Sagadinum Opobalsamum Aegyptio, aliisque in Palæstina nascentibus Galenus prætulerit.

An autem idem Sagadinum Arabico nostro, præstantius odore fuerit, non facilè curiosis ingeniis dederim. Quamvis enim cum propinquis Indis assiduo commercio, non parum odoratę mercis Arabes colligerent; propria tamen sylvarum suarum odorifera fertilitate, nulli exteræ nationi quicquam invidebant: maximè Sabæi, apud quos, teste Plinio, captis è mari & sylvis quæ venderent, maximè opes Romanorum, Parthorumq; subsidebant. Cum itaque balsamum eo loco sponte natura producat quo deliciis mortalium odoratis educandis, & perficiendis, tum solem habet faventem, tum uberem benignamque terram: quid hæsitemus, plantam hanc in eadem summam naturalium qualitatum perfectionem consequi? De virtute, cuius experimentum nobis facere libuit, dubium nullum: qua veteris è Palęstina opobalsami laudes, non implere tantum videtur; sed etiam transcendere, si vires attendimus, qua pestilenti contagio resistit. Inficias tamen ire nolim, opobalsamum Arabicum in patrio solo indiligentiùs

tiùs asservatum, longoque rursum itineris ductu, fervido soli negligente expositum, citius lentescere, adeoque tum odoris fragrantis ἔκλυσιν, tum facultatum propriarum detrimentum incurrere posse.

Tertia bonitatis nota Dioscoridi sinceritas, εἰλικρίνεια, quâ non tam claritatem arguit, perfectioris digestionis comitem; quàm substantiæ liquoris simplicitatem, rei alienæ subdolis misturis adversam. Hoc verò titulo, non illud solum accipimus Opobalsamum, quod stillatim planta suppeditavit; sed etiam quod è frondibus ramulisque ignis ministerio comparatum est; saltem ut prius, nulla heterogeneorum accessione vitiatum sit. Genuinus enim balsami succus est, non secus atq; arundinis suæ saccarum substantia, qualitatibus, agendique facultatibus idem, & viribus ipsis stillatitio proximus, si ritè artifex ignis opera usus fuerit.

An genuinum item, sincerumque sit opobalsamum, quod semina genialì succo adhuc turgidula suppeditant, ambiguum reddidere veteres, qui misturam eius cum stillatitio ex ramulis reprehēderunt. Ego simplicem eos purumque seminis liquorem abecisse minimè existimo, apud quos adulteratum habebatur, non quod integræ naturæ est; sed quod alieni consortio fœdatum. Equidem substantia illa pinguis, & aeria quæ ramulos imbuit, eadem est cum resina quam complectitur semen: adeoque non temperamenti solùm; sed etiam effectuū quos recenset Dioscorides, ratione similis. Primam quidem præcipuamque agendi vim lacrymæ tribuit; proximam tamen semini. Non quia caloris minus spiritumque seminalis succus possideat; sed quia terreis involucrorum partibus impeditus, exserere virtutem non ita possit. Verè Theophrastus, semina κυριώτατα καὶ πρῶτα τῆς φύσεως ἔργα, præstantissima refert & prima naturæ opera, illiusque τελειότητος, iam perfectæ, non intra rudimenta nobilium functionum balbutientis: quippe quæ non calidi tántum vitalis; sed formarum ipsarum compendia sint. Igitur ut ramuli recentes, ita succi plena balsami semina, siquidem Spagyricis laboribus exercitatum nanciscantur artificem, Opobalsamum dabunt, tam suavi odoris halitu; quàm virium excellentia saluberrimum, jurèque Aristotelis illud hic obtinebit, ὅπερ τελεῖν τὴν τέχνην, ἃ μὴ φύσις ἀδυνατεῖ, perficere artem, quæ natura non potest.

Quartò, laudabilis Dioscoridi balsami succus ὁ μὴ παροξύζων, qui non subacidus. Quemcunque enim talem gustus deprehendit, propriam temperamenti symmetriam non obtinet. Detrimentum hoc non una; sed plures accersent causæ; fitque cum liquorem planta per ætatem jam affecta tulerit, eundemque protinus ab initio ἐλλείψει δυνάμεως τοῦ πέπτοντος, languore facultatis coctricis haud perficit, aqueas frigidasque partes, non discutientis, non resolventis. Aut optimum alioquin succum, difflata pingui & aeria substantia, fervor ambientis exhausit. Denique vasis ab Opobalsami vetusti fæcibus non purgatis, recentes lacrymas sordidus cultor immiserit

miserit, vitiosam hanc qualitatem paulatim induit. Mihi quidem balsami succus, qui sapore sic affectus fuerit; haud dum observatus, crediderimq; proniorem in hanc mutationem fuisse, quem Aegyptus olim, & Palæstina, temperatiores quàm Arabia provinciæ, dedere. Commune quidem est, dum â recenti ploratu effervescit Opobalsamum, calorque insitus heterogenea dispellit, ut vasis reclusis, acrem admodòm, & acidum vaporẽ naribus propinquis ingerat, quam subsequens exactior concoctio sensim mitigat. At næuus, de quo auctor noster, non vigorem insiti calidi; sed labem eiusdem, & impotentiam arguit.

Quintum est, quod in bono balsami succo exigit Dioscorides, ut sit ἐυδιάλυτος solvi facilis, aut liquari. Sic enim interpretantur vocem hanc, Attica eruditione viri principes, alias neque rei, neque auctori suo satis vindicandam. Hoc ipsum autem est, quod veluti sincerum deinde commendat idẽ Dioscorides, quodque aquæ, aut lacti inditum χεῖται ταχέως, funditur celeriter, & ut ex eodem hauserunt Arabes scriptores, Serapion, & Abensina, solvitur subitò ينحل بسرعة. Neque abs re hanc probandi liquoris conditionem expressit Anazarbæus. Quisquis enim eiusmodi est, sensum gustantium facili penetratione celeriter afficit, & ut cum veteri loquar Poëta,

—— per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.

Imò quod pluris est, gravibus in morbis expeditum, desideratumque viriũ suarum specimen præbet. Improbus itaque fuerit, quando potiore sui parte, spiritu scilicet, & calore destitutus, terrenoque impeditus lentore, nec facilè dilabitur, nec tenues corporis meatus subire valet.

Addit his bonitatis indiciis λειότητα, lævitatem Dioscorides. Etenim cum humiditates plantarum, ut jam ante propositum, alias simplici crassitudine consistere tradiderit Theophrastus, alias autem in lacrymæ modũ concrescere, Balsami succum non aqueis illis; sed pinguibus atque oleaginosis annumerat, quorum proprium est, lævitatem rebus aliis, & lubricitatem inducere. Hoc itaque nomine liquorem innuit, etiamnum recentem, patentum, partesque quas imbuit, pingui lubricitate lenientem. Sequioris verò conditionis, qui crassior, & spissitudine nimia digitos ungentis difficulter sequitur.

Postremò, laudabilis Dioscoridi balsami succus, ὀστρυφῶν καὶ δάκνων μετρίως, qui adstringit, mordetque mediocriter. Equidem cum nobilis hæc resina, inimicum humano temperamento calorem non obtineat, gustum non nisi blandè afficit, & modestè. At Dioscorides ὁ τὸν θερμαντικώτατον, succum balsami maximè calefacientem constituit; sed hactenus, ut ligno, proceriisque fructibus conferatur. Nam ut in ligno parum, plus in fructibus floris percipitur; ita plurimum eius in succo dominatur. Optimè tamen

Gale-

Galenus, & hyperbolen Dioscoridis veluti coerceens, balsamum calefacere, & siccare excessu secundo scribit. Liquorem quidem subtiliorum esse partium, quàm ipsa planta, non adeò tamen calidũ, quemadmodum quidem existimarunt. Iam enim experientia satis cognitum erat viro diligentissimo, balsami succum in nullo affectu, qui calore validiore indigebat, evidenter opitulatum fuisse, quod vim ægritudini parem non afferret. Insistit præceptoris vestigio Abensina, cumque ligno similem temperamenti normam adhibuisset, Opobalsamum ipsum, in principio calidorum tertii ordinis reponit, additque cum Galeno, وليس فيه من الاسخان ما يظن non esse caliditatem in eo quam arbitrantur. Placidus igitur quâ mordicandi, quâ stringendi in balsamico liquore effectus, quemque in senectâ ætate vel exiguum exhibet, vel nullum.

Atque his bonitatis signis conspicuum sæpè observavi, quod etiamnum felix eius proventu Arabia suppeditat Opobalsamum. Erat enim, quantũ in tanto locorum intervallo fieri potest, virium suarum integritate recens, suavi adhuc odore validum, nõ heterogenei cuiusdam accessione adulteratum, clarum etiamnum, haud subacidum, facilè solubile, læuum, modicè adstringens, & mordens.

Δολοῦται δὲ ποικίλως: οἱ μὲν γὰρ χρίσματα μίσγουσι αὐτῷ, ὡς τὸ τερεβίνθινον, κύπριν-νον χίνινον, σούσινον, βαλάνινον, μεπώπιον, μέλι, κηρωτὸν μυρσίνιν, καὶ κυπρίνιν ὑγρὰν λίαν.

Vitiatur autem per fraudem variè: sunt enim qui unguenta ipsi miscent, veluti terebinthinum, ligustrinum, lentiscinum, liliaceum, nucinum, metopium, mel, ceratum myrthinum, & ligustrinum valdè humidum.

Variè per improbos emptores corrumpi solitam balsami lacrymam, καὶ πολλὴν δέχεται κρᾶσιν, multamque capere misturam, nec in Græcia adeò, nisi rarò, sincerum vendi, vetus Theophrasti querela est. Quid Dioscoridis deinde, aut Plinii ævo, cum ingeniosus disperdendis unguentis luxus, in tantum suaderet augere liquorem? Cum parum esset unguentum sumere, ni bis die, terque, ne in corpore evanesceret, renovaretur. Cum expeterent homines, quibus singulas corporis partes, atque etiam vestigia pedum tingerent: transeunte fœmina odor invitaret etiam aliud agentes, metuq; proscriptionis latentes proderet: denique parietes balinearum unguentis spargerent, & temperarent solia. Ridicula voluptate, etiam cum honestissima judicaretur. Fœtor, inquit Satyricus,

Numquam non mortalis erit mortalibus, unde
Exierint, & quo tendant discetur odore.

Superabat tamen hominum perfidiam summorum principum studium: iidemque illi, qui herbarios suos in Creta insula alebant imperatores, per præfectos suos, quibus Aegypti, & Palæstinæ regimen comiserant, genuinum Opobalsamum ad antidotorum compositionem facilè consequebantur.

quebantur. Adeòque Galenus, inter optima alia quæ ſyntaxis nobilium medicamentorum exigebat, & mel hymettium, & Opobalſamum Romæ olim obvium fuiſſe teſtatur.

Hodiè cum tanto ambitu non expetatur, non ea libido Arabes quidem vexat, ut ſalutarem lacrymam alieni ſucci fraudulenta miſtura vitient. At Cahirum poſtquam allata eſt, in ampliſſima urbe tot ſycophantarum manibus diſtracta, non uno modo redditur deterior. Frequenter Cypria, Arabicave terebinthina miſcetur, fraude, ut minus noxia, ita non difficulter cognoſcibili. Sic enim affectum, non per ſtillas; ſed lento veluti fili tractu delabitur, odore debili, minuſque ſuavi, turbidum aſpectu, colore pallidius difficulter ſolubile, denſando lacti ineptum, atque inſtillatum veſtimentis, adhæſu tenaciore ſeſe jungit. Memini, & oleum zacconis à perfidis hominibus hic uſurpatum, quod veluti claritate, coloriſque flavedine; ſic vulnerum jungendorum efficacia, ſucci balſamici æmulum. Eſt autem zaccon in Hierichuntis planitie naſcens pruni ſpecies, folio anguſto, & ſpinoſo, fructu myrobalano citrino ſimili, ex quo contuſo, vinoque prius irrotato, Arabes, & qui Solymis commorantur religioſi viri oleum dictum exprimunt. Dolus tamen facilè detegitur. Nam nec odor in illo, qui cum Opobalſamo vel comparatione dignus ſit, nec lactis portionem ullam cogit, quamvis ſapore aſperum, & adſtringens. Innatat liquorum aqueorũ ſummo olei inſtar communis, vel ſtipatum, vel in radios concuſſu diſtractum. Laneis veſtibus inditum, ſeſe latius diducit & profundiùs inſinuat, vixque eluendam iiſdem maculam impingit. Itaque permiſtum Opobalſamo, tum fragrantiam eius minuit, tum reliquis omnibus notis induit, quibus per olea & unguenta corruptus balſami ſuccus, à Dioſcoride mox deſcribetur. Tentatum idem oleo ex Mauritania, quod plurimorum annorum decurſu ſpiſſius redditum, conſiſtentia, colore flavo, vulnerumque levandorum efficacia, lacrymæ balſamicæ aliquantum ſimile. Cæterùm cum aliis indolis ſuæ ſignis ab eadem plurimùm diſcrepet, vel mediocriter in Opobalſami δοκιμασίᾳ verſatus, vitium additum agnoſcet.

At veteribus in magna unguentorum aviditate, maior adulterii libido fuit: eratque obſcuriſſimum vitium ſi terebinthinum miſcerent, aut lentiſcinum: manifeſtius ſi mel, cuius ſapor latere non poteſt: evidentiſſimũ ſi liquida cerata: nequiſſimum item Plinio ſi gummi adderent. Pro cerato autem liguſtrino, cur Pliniana imitatione, ceram Cypriam verterit latinè Ruellius, cauſa nulla fuit. Optimè Abenſina Dioſcoridis ſententiam expreſſit, cum balſami liquorem depravari ſcriberet, cerâ in oleo liguſtrino oluta, جلفيج يذاب في دهن الحنا. Liguſtrum enim communiter el enna, Arabibus dictum. Plures etiam Opobalſami fraudes ſe didiciſſe rofitetur Galenus, & per quas vel peritiſſimis imponi potuerit; ſed quas ominum impoſturas veritus, in publicum proferre non ſuſtinuerit. Tales

ex pini, terebinthi, abietis, piſtacei ſtillaticiis liquoribus, oculata manus facilè concinnabit. Tutus nihilominus ab errore fuerit, quiſquis in his technis conſilium Galeni ſequetur, & non ſimplici auctorū lectione contentus, velut ἐκ Βίβλων ἐργάτης, in locis, quibus Opobalſamum lectiſſimum obvium eſt, non ſemel; ſed ſępius illud examinabit. Qui partem optimi liquoris, vel ipſe indè ſecum detulerit, vel per amicos ſpectatæ fidei, ſibi conquiſiverit: denique alias hoc nomine celebres lacrymas, cum ſincero illo comparaverit, non de manifeſtis minus qualitatibus, quàm agendi viribus ſolicitus. Melius de poſteritate meretur Dioſcorides, qui ſigna proponit, quibus adulterantium dolos deprehendamus. Pergit enim, &

Ἐλέγχει δὲ εὐχερῶς ὁ τοιοῦτος. Ἐπιστάγεις γὰρ ὁ ἀκήρατος εἰς ἱστοῦ ὕφος, καὶ ἐκπλυθεὶς, κηλίδα οὐ ποιεῖ, οὐδὲ στίγμα. Ὁ δὲ δεδολωμένος προσμένει.

Arguitur autem facilè qui talis. Inſtillatus enim ſincerus in laneum pannum, & elotus, maculam non facit, neque notam: qui verò dolo vitiatus, immanet.

Diſcrimen itaque primum ſinceri opobalſami, & olei unguentiſque corrupti, quod ſincerum veſtibus inſtillatum, lotione ſic auferatur, ut macula, veſtigiumque non amplius oculis obſervetur. Contrarium enim obtinet in vitiato, quia veſtimentis exceptum penitiùs ſe inſinuans, & diffundens, vix delebilem lotione maculam exprimit. Hæret itaque pura lacryma, & quo ſuſcepta primitùs fuit orbe, perſiſtit; mox ſi calida eluatur, eximitur prorſus, & aboletur: ſi relinquatur, diſcuſſa parte tenuiore, minor indies evadit, jamque ſiccior ob calorem ambientis, etiam digitorum impulſu facilè reſolvitur, & ſeparatur, nulla ſuperſtite ſui nota. Promptiſſimè tamen lotione tollitur opobalſamum, quod a recenti ploratu tenvius: non ita facilè quod viſciditatem majorem adeptum eſt. Optimè ſuggerente Theophraſto, τῷ γλιχρότητα ἀντιληπτικῷ εἶ: viſciditatem apprehendendi vim obtinere: longè difficiliùs abſcedit ſuccus, qui plurium annorum decurſu, terebinthinæ lentorem acquiſivit. Quamvis per ætatem ſpiſſior liquor, cum eius gutta minus adhuc laneum textum ſubeat, reſiccatus deinceps, nullo negotio diſpellatur, neque indicium ſui proferat. Abenſina paucis; ſed abunde ad mentem Dioſcorides, فانه ينقي لا يغسل الصبيه quando eluitur (qui ſincerus eſt) non parit maculam. Nam quæ ſubiicit in Latina verſione interpres, de conſervanda ſoliditate eius in aqua, & ablutione à goſſipio, ſive Cotto ut ſcribit, textus Arabicus non habet.

Peius implicuit Ruellius eos, qui cum fontes ipſos Pedacii accedere non potuerint, riuulis eius iam turbidis, labra rigarunt. Nam cum allata Dioſcoridis verba latinè tranſtuliſſet, Merus (balſami ſuccus) in laneam veſtē fuſus, neq; maculam facit, neq; ſi eluatur notā relinquit; vitiatus autem inhæret. Hæc, totidem verbis in vulgarem ſermonem verſa, dederunt anſam exploraturis opobalſamum, vt ſibi perſuaderent, non inſtillandum id eſſe per ſingulas guttas, ſed liberali manu largius infundendum:

imò

imò crassum ex lana, villosumque centonē, eodem penitiùs imbuendum. Sic denique exceptum liquorem, maculam facere non debere; sed totum in spiritum, suavemque halitum dissolutum petere cœlum, neque exuvias corporis, aut residuum ex se nævum relinquere. Postremò, illibatæ substantiæ succum non inhærere: ipsumque adeò Prosperum Alpinum, cum Opobalsamo Arabico ad metam hic constitisse, utpote quod absolvere planè ab inhæsionis crimine vix potuerit.

Sed hæc nihil ad Dionysium. Quid enim apud Dioscoridem nostrum clarius, quàm ἐπίσαξιν requiri balsamicæ lacrymæ, non ἐπίχυσιν, ut stilletur supra laneam vestem, non ut effundatur, cum eam in probationibus ob pretii magnitudinem largiùs prodigere minimè deceret: excusationemque adeò Ruellius nullam hic inveniat. Multò minus, quod inconvenienti metathesi, τῷ ἔκλυσιν, elotionem, quam Dioscorides præmittit, â maculæ inductione sejunxerit, retuleritque ad vocem σπίλου. Vnde insedit animis disceptantium opinio sincerum Opobalsamum maculam non parere. Sed misso ex alieno παροράματι profecto errore, adsevero maculam induci vestimentis, etiam ab optimi nobilissimique Opobalsami gutta. Qui enim secus fieri queat? cum & spissitudinem obtineat hic succus, & colore quem obtinet proprio se repræsentet, ad quem delendum veteres lotionem exigunt. Hoc igitur ipsum est, quod Dioscorides respexit, scilicet elui posse à sincero opobalsamo contractam maculam, quam qui sine ablutione totam in spiritus abire contendunt, illi palàm cum Aristophanæo Socrate, ἀεροβατοῦσι, ambulant in aere.

Cæterùm quæ maculæ, eadem & inhæsionis ratio habenda. Necesse enim est susceptam lanea veste lacrymam inhærere, quæ tota pinguis per naturam, tota viscida existit: eoque tenacius inhærere, quo lentor eiusdem per ætatem magis increvit. Attamen quicquid eius adhæsit, non dilatabit sese, & majore indies fœditate olei instar diffundet. Non sic permanebit, quin adhibita lotione expurgari queat. Atque hoc signum, quo ab oleis omnibus intactum se demonstrat opobalsamum, in Arabico puro clarissimè refulget, utpote cujus macula, siquidem recentior liquor fuerit, simplicis calidæ contactu facilè tollitur. Neque aliter de hoc gnorismate judicavit Prosper Alpinus, utique postquam debito modo & tempore factis experimentis cognoverat, delebilem esse incorrupti ab oleis opobalsami nævum. Nam ipsum quod attinet pannum, Arabes quidem è lino, serico, gossipio, pilisque caprarum contextum, promiscuè in lacrymæ probatione usurpant, nec dubium, facilius eam sic abscedere: quamvis etiam in laneo sinceritatis fidem exhibeat.

Γάλακτι δὲ ὀπισαγεὶς πήγνυσι τοῦτο, ὅπερ δεδολωμένος οὐ δρᾷ.

Lacti verò instillatus densat illud, id quod dolo corruptus non efficit.

Ac siccis quidem corporibus inditum opobalsamum, hoc specimine since-

ritatem suam tuebitur. Subjungit porrò Dioscorides, quid liquidis instillatum præstet idem, & primo immissum lacti. Refert itaque simplicem balsami liquorem lac cogere, idque vitiatum haud efficere, eximia sanè & singulari sibi facultate. Nam veluti proposito jam indicio, juxta cum aliis lacrymatis, resinosisque succis, ab oleorum mistura intactum se convincit; ita lactis condensatione propriam magis naturam, indolemque manifestat. Hæc verò condensatio, non de coagulatione propriè accipienda est, qua lac per admisti coaguli particulam, veluti gelu vinctum hæret, figiturq; totũ; sed de spissiatione, & condensatione partiũ lactis, opobalsamo concrescenti propinquarũ, quam cum Prospero Alpino, debilem, imperfectamque coagulationem haud immeritò nominare libet. Equidem compactionem illam, quæ coaguli facultatem æquaret, etiam in recenti admodùm, optimoque balsami liquore nunquam factis experimentis cognovi, quamvis haud exiguam lactis portionem cogeret. Nec veterum quisquam hanc coaguli energiam, opobalsamo literarum monumentis tribuit, aut ratio assignavit ulla. Quomodo enim pares afferant compingendi vires, quæ tam dissimilis sunt naturæ? Miscetur enim lacti coagulum promptissimè, utpote eidem homogeneum, & Aristotele quoque finitore, Γάλα ἔχον ἐν ἑαυτῷ πῦρ, lac habens in se ignem. Itaque factu facilimum est, cum sale subtilissimo, spirituque πικτικῷ familiarem sibi substantiam quaqua versum penetrent, eamque sibi alligent undique,

—— *ut liquefacta coagula durent.*

At non ea balsamicæ resinæ conditio est, quæ pinguis, & aeria, nihil magis quàm rerum aquearum conjugium aspernatur: adeòque lacti cominùs instillata, non illi se miscet; sed celeri motu per summum eius explicita, tenuem veluti in telam diducitur, tumque partim frigidi contactu, partim exhalante repentè spiritu debilitata, si quid roboris superest, quo cogat, aut denset, in propinquas sibi lactis partes tantum diffundit. Neque adstringendi facultas, sub qua concretionis opera plurimùm proficit, singularem in Opobalsamo ἐξοχὴν sortita est, quam optimo illi non nisi mediocrem Dioscorides adscribit.

Accedit, eundem usurpare verbum πήγνυσθαι, cui optimè respondet Arabicum illud جمد: eoque non simpliciter τὸ ἐμπιτυάξειν, coaguli instar congelare; sed latioris significati complexu, quamcumque compactionem, concretionem, condensationemque passim Græci scriptores exprimunt. Aristoteles, πᾶν τὸ ὡρισμένον, καὶ τὸ συνεστηκὸς, καὶ μαλακὸν, καὶ σκληρὸν, ταῦτα τῇ πήξει ἔχει. Rem omnem, ait, determinatam, & consistentem, aut mollem, aut duram, concretione talem esse. Cumque de particularibus sermo est, πήγνυσθαι τὸ μέλι ἀπὸ ὕδατος, spissari densarive mel ab aqua: τὸν ὀπτόμενον κέραμον πήγνυσθαι ἐξιόντος τοῦ ὑγροῦ: coctum fictile compingi exeunte humido. Vtitur eodem frequentius Theophrastus, cumque de resinosis loquitur liquoribus

quoribus, non eandem, inquit, omnium esse horam τῆς ἐντομῆς, καὶ πήξεως, incisionis, & concretionis: copiosiorem esse item humidi fluxum, in iis, ὧν αὐτόματος ἡ πῆξις, quorum sponte facta est condensatio. Denique hunc ipsum, de quo agimns balsami succum, Strabo, ἀναλειφθέντα εἰς κογχάρια λαμβάνειν πῆξιν, receptum parvis conchis, acquirere spissitudinem scribit. Quæ cum ita sint, & vel in optimi opobalsami gutta, mira illa coaguli vis nec sit, nec persistere queat, qua subditi lactis magnam quantitatem parva mole veluti congelat, atque immobilem efficit, nec Dioscorides, atque Avicenna, quicquam eius sigillatim exprimant, non est quod Pliniũ, multa hic ἀκυρολόγως proferentem, de propriè sic dicto, perfectoque coagulandi effectu interpretemur.

Causam condensationis qui communiter expendunt, ad partium lactis balsami succo subiectarum exsiccationem, cum Aristotele respiciendũ monent, qui verè sanguinem fibris carentem, οὐ πήγνυσθαι ὅτι οὐ ξηραίνεται, non concrescere dicit, quia non siccatur: ipsamque πήγνυσθαι ξηραίνεσθαι πως, concretionem esse exsiccationem quodammodo, sive ea manifestam humidi consumptionem excitet, sive ἄδηλον διαπνοὴν & imperceptibilem. Efficit eam tam calor, quàm frigus. Calor quidem humorem absumendo; frigus calorem expellendo, cum quo pars humidi tenuior pariter facessit. Neque obscurum est, utrumque obtinere in balsamico liquore, qui calore suo portionem lactis tenuiorem discutit, eodemque mox exhalante, prævalente iam frigido siccoque elemento, partem propinquam lactis cogit, ipsumque pariter concrescit. Optimè Hermetici πῆξιν corporum naturalium, insito iisdem sali, tanquã propiori causę tribuunt. Accipiendum autem hic sal γενικῶς, pro substantia misti terrea, â calore plurimùm attenuata, per quam aptitudinem consequitur, promptè & ipsum concrescendi, & aliena quoque corpora, quibus humore, spirituque mediantibus communicatur, similem in modum afficiendi. Ita saccharum, chalcanthum, nitrum, discusso per quem diluebantur humore supervacuo, tum ex se coagulantur, tum ea quibus condimentum præbent, densant secum, atque indurant. Hoc ipsum itaque Opobalsamo congenitum sal, dum evaporat odoratum eius sulphur, concrescit, sibique conjunctas affinitate naturæ lactis partes colligit, ac constipat.

Cæterùm hanc densandi lactis proprietatem, non eodem semper vigore possidet balsami resina. Potentius agit quæ recentior, quia terreas partes concretionis auctores, calor vix dum rerum potitus, in ordinem haud redegit, atque ut cum Chymicis loquar, Mercurius spiritusve acidus, salium subtilissimorum vehiculum, nondum ab insito sulphure satis domitus. Debilior actio est, cum acquisita humidi nimia visciditate, vires suas expedire terreę, partes nequeunt: lentoque iam phlegmate, veluti compedibus induta salia, ὁρμὴν naturalem, impetumque non promunt. Major autem

hæc

hæc cogendi lactis potentia, in Syriaco veterum Opobalſamo fuerit, an in Arabico noſtro ſit, non ſatis liquet, cum alterius defectu comparatio facultatum fieri nequeat. Mihi probabilius, Syriacum his viribus præcipuè polluiſſe, cum in temperatiore productum climate, partium frigidarum pſuſculùm poſſideret, nec clementior calor ſpiritum ſalium hoſpitem immoderatiùs exigeret.

Actio ipſa condenſationis, haud iiſdem abſolvitur monumentis temporis. Celerior eſt, cum tenuior balſami liquor, adeoque ſolutu promptior, viribuſque penetrandi inſtructior. Tunc enim vix peractâ ἀποζέσει, nondũ cœnum ſuum â cœlo diſtinxit, ſpirituſque digeſſit, ſalibus tartareis aſperſos. Tardiùs ergo fit concretio, quum per cauſas contrarias mora fit. Abenſinæ interpres vetus, experimentum, inquit, olei balſami eſt, congelatio lactis, ſtatim, cũ ſuper illud deſtillatur. At codex Arabicus Medicæus, particulam, ſtatim, non habet; ſed διαῤῥυήσεω, دهنه اجماد اللبن اذا قطر منه على لبن Pinguedo eius cogit lac, quando ſtillat ab eo ſuper lac.

Ἔτι ἐφ᾽ ἑαυτοῦ ὅτι χυθεὶς γάλακτι ἢ ὕδατι χεῖται ταχέως, καὶ γαλακτοῦται, ὁ δὲ δεδολωμένος ὅτι πλεῖ καθάπερ ἔλαιον συστρεφόμενος ἢ διαχεόμενος ἀστροειδῶς.

Amplius qui ſincerus, infuſus lacti aut aquæ funditur celeriter, fitque lacteus: at per fraudem vitiatus innatat ſicut oleum, converſus, & diffuſus in modum ſtellæ.

Tandem quid communiter aquæ, & lacti inditum præſtet Opobalſamum ſincerum, perſequitur porrò Dioſcorides. Hic verò effectus tanti eſt apud Arabes, ut vel eo ſolo evidenter ſe proferente, indubitatæ bonitatis liquorem emptoribus eius ſpondeant. Ac primò quidem ſincerum balſami ſuccum, aquæ aut lacti immiſſum, celeriter fundi ſcribit; quibus ex amuſſim reſpondent Abenſinæ verba, ينحل بسرعة ſolvi cum celeritate, ut momentum rationis vix habeat interpres latinus, cur receptiſſima verbi ſignificatione poſthabita, non ſolutionis; ſed miſtionis in aqua & lacte meminerit, quo ſenſu dum ab orbita veri non parum ſecedit, ducit etiam ſecum in plexus, quotquot in eandem ſententiam concedunt: quibus opinionem peperit, jungere ſeſe intimè lacti & aquæ opobalſamum, eademque viribus ſuis undique imbuere, id quod à veritate alieniſſimum eſt. Quamvis enim hoc dem, promptè miſceri aliis, quæ facilem admittunt ſolutionem; id hactenus tamen conceſſerim, ut ſint ὁμοιομερῆ, quæ coire debent, & ſubſtantiæ cognatione invicem devincta. At ea lacti, & aquæ cum Opobalſamo non intercedit. Nam cum hoc aeriæ, ſpirituoſæque ſubſtantiæ plurimùm poſſideat, lac & aqua frigidioris elementi viribus prævaleant, difficilis ſemper, & infirmus concurrentium nexus eſt. Itaque ſi cominus aquæ aut lacti balſamica gutta admoveatur, non mergitur, non miſcetur; ſed ſimul atque utrumvis contingit, in ſummo ſeſe æquore diffundit, ac dilatat. Ex alto ſi deſtilletur eadem, pondere ſuo abrepta

mer-

mergitur quidem; ſed mox ſuperficiem repetit, atque in eam ſe expandit.

Funditur ergo pinguis hæc lacryma; ſed funditur ταχέως celeriter. Quāvis enim reſinoſi liquores alii, per aquę ſuperficiem ſeſe explicent; nullus tamen, vel antiquitus, vel hoc primùm æuo cognitus, tam expedito, tamque celeri motu, aquæ lactiſque ſummum occupat. Conferantur ſinceri ac recentis opobalſami, tum ex abite, pino, & terebintho reſinarum in aqua & lacte expanſio, patebitque clariſſimè, quàm

—— *nil tremulis facere artibus hædi*
Conſimile in curſu poſſint, & fortis æqui vis.

Tanta enim in diſſolutionis velocitate differentia eſt, ut balſamici liquoris guttula recens, momento quaſi temporis diffundatur, quo reſinæ reliquę non niſi lento paſſu prorepunt. Accedit huic celeri ſolutioni amplior dilatatio, cum vel vnica opobalſami lacryma, cyatho ſatis capaci receptam aquam, tenui pellicula totam obvelet. Cur autem aqueis liquoribus inditum hoc medicamentum celeriter diſſiciatur, non ſatis, fateor, explicitū eſt. Vero tamen ſimillimum videtur, cum recentis huius ſucci colliquatio, nulla vel arte, vel agitatione indigeat, fieri eam ob motum partium ſpirituoſarum & calidarum, naturali diſſidio contactum aqueorum averſantium. Hæ, dum velut è cētro per radios ad circumferentiam abripiuntur diducunt ilicet, diſtrahuntque ſecum liquorem ipſum, cui amico naturæ fœdere conjunguntur. Itaque diminuitur hæc actio, cum in eodem, ut poeta loquitur Carus,

—— *minutatim vires, & robur adultum*
Frangit, & in partem peiorem liquitur ætas.

Abſcedunt enim paulatim ea, quæ Hippocrates ὁρμοῦντα σώματα nominat, ſicque lentore ſuo præpeditus ſuccus, ad expanſionē redditur difficilis: maximè ſi robore ſuo jam defectum opobalſamum, aquæ aut lacti intenſius frigidis inſtilletur.

Cæterùm diſſolutionem balſamicæ reſinæ, excipit eiuſdem condenſatio, cuius ratio præcedentibus jam expoſita. Huic conjungit Dioſcorides τὸ γαλακτοῦν, lacteum fieri: ſignum eximium, quodque ſucci concretionem pari velocitate comitatur. Nam ſimul atque in membranulam hic extenſus eſt, non aureus amplius, non flauus; ſed manifeſto pallore decolor conſpicitur. Tunc verò ſtyli cuſpide recollecta gutta, (nam colligi diſſoluta integrè poteſt) etiam evidentiore candore lacteum ſuccum exprimit. Nec deeſt mutationi ratio. Nam ut in humano corpore, florem naturalis coloris leve ſpirituum deliquium carpit, & per ægritudinem aliquam repente ingruentem, nitor ille,

Ac fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur ——

Ita hic aureum opobalſami ſplendorem ſpirituoſi ſulphuris effluxus lacteo pallore commutat.

Ha-

Habet itaque hæc lacryma, vt præ reliquis hactenus cognitis resinis celeriter soluatur, ampliter dilatetur, & coloris etiam citam insignemqu mutationem subeat. At igne elicitum è juniperi baccis oleum, simili facultate præditum conspicitur, cum celeri motu ipsum quoque per aquam diffundatur: inventique à curiosis hominibus liquores, qui tum lactis aliquid cogere, tum aquis infusi lacteum candorem æmulari cernebantur. A hæc non efficiunt, ut vel balsami liquores diversos nobis præbeant, aut in genuina lacryma suspectam integritatis fidem reddant: facilèque patimur junctim possidere Opobalsamum, quæ in aliis seorsim occurrunt, & singula. Sint enim quorum maculæ promptè lotione tolluntur, quæ lac coagulant, quæ celeriter in aqua liquantur, quæ colore lactescunt: jmò quæ manantibus tam à temperamento, quàm à tota, ut cum Galeno loquar, substantia facultatibus paria præstent. Opobalsamum tamen aliud genuinum habendum non est, quàm resinosus ex ipsa balsami planta succus. Qui probus vtique fuerit, si viribus suis etiamnum pollet, adeoque suavem ligni fructuumque suorum odorem spirat, linguam mordicando atque adstringẽdo mediocriter afficit. Sincerus item, si maculam pariat lotione delebilem, lac cogat, denique aquæ aut lacti jmmissus celeriter fundatur, extendatur, albescat.

Sub jungit porrò Dioscorides succum balsami dolo vitiosum olei instar innatare, converti, atque in stellæ modum expandi. Confirmat jdem, & verbis propemodùm iisdem Abensiua, cum scribit.

المغشوش يطفوا مثل الزيت و يجتمع او يتفوق فيصير بمنزلة الكوكب

Innatat (adulteratus) sicut oleum, & se colligit, & summum occupat, idq; fit similitudine stellæ. Nam cum recentis legitimique Opobalsami gutta quaquaversum exporrigatur, occupetque celerimè oram vasis omnem, haud reperit quo se proferat vlterius, adeoque nullis distractum radiis, simplici continentis corporis ambitu definitur. Ne senio quidem languidior balsami liquor olei volutatus in aqua exhibet. Nam in frigidam coniectus petit fundum; in calida, modicè dilatatur: in fervidam missus, discussis ilicet spirituosis reliquiis, vix dissolui amplius potest. Memorabile jtẽ quod addit hic Dioscorides.

πρὸς μὲν τοι χρόνῳ ἀκήρατος παχυνόμενος ἑαυτοῦ χείρων γίνεται. Πλανῶνται δὲ οἱ νομίζοντες τοῦτον ἀκήραιον ἐπιταγέντα ὕδατι χωρεῖν εἰς βάθος πρῶτον, εἶτα ἀναπλεῖν ἐπιδιάχυτον.

Cum tempore verò sincerus crassefactus, se ipso deterior fit. Hallucinantur autem qui existimant, hunc sincerum super aquam stillatum, petere fundũ prius, deindè ju sum meare, facilè solubilem. Refert eadem ex auctore nostro Abensina, totidemque verbis,

يغلط من يظن ان الخالص اذا قطر على الما يصور اولا في عمقه ثم انه يطفوا
عليه و يذوب منحل

Errat

Errat qui existimat sincerum, cum stillatur super aquam descendere primùm in fundum, deinde remeare super eam, estque hic sine solubilitate, ac bonitate. Purum itaque balsami succum, ætatis melioris decursu iam crassefactum, fieri deteriorem, verè nimis, ac seriò fatetur Dioscorides, ut Cratęti vetustissimo Comico meritò applaudendum sit, qui

Ὁ γὰρ χρόνος μ' ἐκαμψε τέκτον οὐσοφὸς.
Ἅπαντα δ' ἐργαζόμενος ἀδυνατώτερα.

Me, inquit, tempus incurvavit, faber haud bonus, omnia quippe efficiens imbecilliora.

Quid igitur? non incolumes permanent in genuina balsami resina, notę illæ à Dioscoride nobis commendatæ, quibus indolem eius ad veri obrussam exigimus? Ita iis sane videatur, qui proposita junctim signa, pro differentia nobis obiiciunt, εἰδοποιὸν speciem rei constituentem, quæ Porphirio præceptore, ἄλλο, οὐκ ἀλλοῖον, alium, non diversum efficiat Opobalsamum, non magis admittat & minus, non ætatis, temporisque mutationibus obnoxia sit, vt varietas quidem in calorem, saporem, odorem, innatationem, aliasque notas cadere queat, non queat in maculæ delebilis productionem, lactis concretionem, celeremque liquationem. Sed hæc plura sunt, & majora, quàm vt iis capiendis Opobalsamum par esse possit. Nam cum liquor hic non sit in æternarum substantiarum censu, quibus, ut verè docuit Aristoteles, τὸ ἐνδεχεσθαι τοῦ εἶναι μηδὲν διαφέρει, esse & potentia non differunt; sed propter communem caducis materiæ labem, corruptioni subiectum. Necessum est, ut in se ipso habeat, cuius ductu post exortum suum abeat ad occasum, & fortuitorum etiam occursu rapiatur eodem. Quemadmodum autem optimum factum, collectis balsamici succi facultatibus & affectionibus, ab aliis eundem curiosè distinguere, cuius non secus ac de plantarum partibus aliis sensit Aristoteles, οὐκ ἔστιν ἀκριβὴς ὁ λόγος, non est satis exactè cognita substantiæ ratio; sic iniquum est, qualitates naturales, quæ seorsum spectatæ, ne propriæ quidem sunt, in formarum essentialium ordinem, redigere.

Sed revera in nobili hac resina, nihil est quod vim temporis, adeoque ætatis effugiat: nihil quod locorum, cultusque varietate, mutationem accidentium non admittat: ut quæ coloris, odoris, saporisque discrimen invehunt causæ, varient pariter, intendant, remittant qualitates, actionesque reliquas. De crassitie, per quam sincerissimi alioquin succi conditio redditur deterior, fatetur Dioscorides. At hanc duo consequuntur: adhęsio scilicet in pannis pertinacior, quæ deinceps elotionem secum trahit operosiorem: tum solutionis, expansionisque difficultas, veluti in allatis superius abundè expositum. Neque aliter de lactis condensatione sentiendum est, sive hanc viri docti à temperamento deducant, sive totius naturæ viribus acceptam referant. Nam terreæ partes, acquisita per senectutem

humidi viſciditate illaqueatæ, quò ſe exporrigant, tanto minus reperiunt, quanto major ſpiſſitudo liquorem compingit. Nec conſtantiores hercules ſunt, manantes à tota ſubſtantia facultates, ut crebrò nimis in alexipharmacis, catharticis, aliiſque pretioſis medicamentis experimur, & ſalutaris ſcientię parens ἐμπειρία dudum detexit. Credant itaque Dioſcoridi citra exceptionem fidei probatiſſimæ teſti: credant Abenſinæ, qui diſertè.

للعتيق فلا قوة له الا في قوة يسيرة

In condenſato antiquo, non eſt, inquit, robur partium, quod ſit robur efficax: ſciantque balſami etiam puriſſimi liquorem, per varios ætatis caſus, quamvis externus fortuitorum impetus non accedat, notis quotquot obtinet omnibus, varium ſe præbere, atque ut cum Ariſtotele loquar ἀορίστως ἔχειν.

Porrò explodit Dioſcorides errorem eorum, qui ſincerum quidem; ſed longiore tempore craſſefactum Opobalſamum prius fundum petere arbitrabantur, deinde ſurſum remeare, facilèque diſſolui. Nam quodcunque hujus conditionis eſt, aucto jam frigidioris elementi pondere, fertur deorſum, etiamſi non eminus; ſed cominus aquæ inditum fuerit, & citra validum proiicientis impulſum. Tum verò, ſi partibus aeriis non dum penitùs deſtitutum, languidè, tardèque ſurſum nititur, ſtardè ſoluitur, nec tenuem undique in telam panditur; ſed olei inſtar, intra exiguum orbem coercitũ, innatat. Quod ſi ſpirituoſis partibus fortior concretio vim extremam intulerit, non ſurſum contendit, perque ſummum aquæ deducitur; ſed in fundo perſiſtit, & ut Pythagorei olim ſentiebant, ἐν δὸς φυλακῇ in Iovis carcere.

Sed hic Plinius nobis in pleno curſu remora obiicitur, qui ſuccum balſami probatum in aqua ſidere, ſcriptum reliquit. Hunc Saladinus ſequitur, & Setus, & quotquot poſthabito ſubſtantiæ Opobalſami examine, ſimplici auctorum aſſertione ducuntur,

—— ceu nervis alienis mobile lignum.

Mihi quidem Plinius etiam inter eximios ſcriptores locum ſuum retineat; minimè tamen Dioſcoridi atque Abenſinæ in materiæ medicæ πραγματείᾳ præferendus. De quorum illo ſatis dixero, ſi cum Galeno dixero, πολλὰ μὲν ἔμπροσθεν ὑπὲρ ἁπάντων γέγραπται καλῶς: ἀλλὰ ὑπὲρ ἁπάντων οὕτως οὐδενὶ multa vetuſtiores (de ſimplicibus medicinis) benè ſcripſiſſe; neminem tamen omnium æquè benè de omnibus. Alter ingenio, judicioque princeps, quemadmodum de ſalutaris ſcientiæ præceptis; ſic de remediorum uſitatiorum facultatibus, non minus probanda edidit, quàm

Pythia quæ tripode ex Phœbi, Lauruque profatus.

Quærant, per me licet, viri docti, quo diſſentientem Plinium, cum præſtantiſſimis auctoribus in gratiam reducant. Ego mille mendis, erroribusque fœdato ſcriptori manus haud commodo, cujus maculis delendis, ſe vix parem agnoſcit eruditorum phœnix, Salmaſius. Dioſcoridi noſtro præter

ex-

experientiæ certissimam fidem abundè patrocinatur ratio, quæ pinguem aeriamque lacrymam, quamdiu natjvam servat indolem, summum aquæ occupare debere, (nisi externa vis deorsum cogat) tam superantis elementi viribus; quàm recentium omnium resinarum exemplo, penitissimè convincit. Igitur maculam oleorum instar non facere, lac densare, celeriter diffundi, olei instar haud innatare, propositę a Dioscoride balsamicę sinceritatis notæ, cum in Arabico simplici dohen balesan, quamdiu provectioris ætatis vitio nondum exhaustum est, optimè omnes se manifestent, necessario relinquitur, eundem omninò esse cum illo, quem veteres agnoverunt, suavem è Palæstina, pretiosumque balsami liquorem.

His expensis pergit ad Xylobalsami, & Carpobalsami, adeòque ligni fructuumque balsami examen: & lignum, inquit, quod Xylobalsamum vocant, probatur recens. Enimvero de junco, calamoque aromatico quod scripsit Theophrastus, παρακμάζειν ταχὺ, citò à vigore suo descisscere, de balsami surculis meritò fatendum, qui nisi recentes sint, ob facilem partium tenuium dissolutionem, quas tum fervidius Arabiæ clima, tum sub acriore sole longius deindè iter jmininuit, conceptæ de se virtutum expectationi, Europæis rarò satisfacere possunt. Addit laudari λεπτόκαρφον, surculo tenui prædjtum. Hoc enim ipsum illud est, ut superius explicitum, cuius vegeta magis natura, nec dum cultu diuturniore effœminata, quodque succo meliore perfusum. Πυῤῥὸν, εὐῶδες, τραχὺ, πνέον ὀποβαλσάμου, suave olens, rufum, asperum, jdque externa corticis scabritie: denique opobalsamum spirans, quia sic inditium exhibet certissimum propriæ stirpis, roboris jtem præsentis, & unguentis apud veteres nobilioribus aptum erat, quibus incoquebatur. Prostant hi opobalsami surculi, notisque allatis optimè respondentes, in Venetis, Siculis, Hetruscis, & Massiliensium emporiis, iiq; probatissimi, si in Cahiro emantur recentes, & expeditior deinde ex Aegypto, breuiorque vento secundo navigatio contigerit.

Fructus præterea siue carpobalsami, necessarium jncidisse usum refert Dioscorides, quoniam & unguentis adhibebatur, & immiscebatur antidotis. Eligendum autem monet ξανθὸν, siue id rufum interpretemur, siue flavum. Nam externo folliculi ambientis colore, surculis rubentibus fructus similis est, & intrinsecus, membrana succum melleum propriùs asservante, flauescit. Plenum denique, cum non corticum; sed inclusi potissimùm succi gratia carpobalsamum expetatur. Quamvis autem possibile non sit, vt idem ex Arabia in Europam transmittendum, desideratam ab utilissimo succo plenitudinem exhibeat, validis causis discussioni ejusdem incumbentibus, secus quàm olim contigit, cum in Palæstina, atque Aegypto, Græcis, Italisque hominibus obvjum esset. Satis tamen in tanta locorum intercapedine, probabilis existimandus fructus balsami, qui nondum penitùs exsuccus, & arefactus deprehenditur; nec odore adeò proprio, saporeque destituitur.

Iungit Dioſcorides plenitudini carpobalſami amplitudinem & pondus. Subeſt enim vtrique horum major odorati ſucci copia, qui veluti in minore fructu minor; ſit in leviore quoque magis abſumptus eſt. Magnitudinem ipſam haud exprimit Anazarbæus, differtè verò Theophraſtus, παρόμοιον θρμίνθω, καὶ μεγέθει καὶ σχήματι καὶ χρώματι, aſſimilem terebintho tradidit, magnitudine, figura, colore. Similem magnitudine: nam cum è duabus terebinthi fœminæ generibus, altera lentis ſpecie fructum edat, altera fabę, priori vtique non ineptè carpobalſamum comparaueris. Similem quoque retulit ſchemate fructum, quo ad rotundam ſe figuram componit. Similem denique colore, qui in extima membrana rufus apparet. Porrò carpobalſamùm guſtu mordax commendat Dioſcorides, & πυρωῦ, feruore ſiue acrimonia linguam feriens; ſed μετρίως, moderatè: quam vocē malè interpretes a guſtabili qualitate ſemotam, coniungunt odori. Nam ſuccus balſami, quamvis Dioſcoridi θρμαντικώτατος, maximè calefaciens dicatur; blāda tamen per ſe cùm adſtrictione, tum mordacitate guſtantem afficiat: blandius idem præſtiterit fructus, qui agendi viribus δευτέραν δύναμιν, ſecundariam potentiam adeptus eſt. Tandem opobalſamum redolere fructus debet, quoniam hoc involucris ſeminis largiùs, quàm reliquis partibus plantæ natura congeſſit: unde neque ita facilè diſſipabilis in eo fragrantia, nec debilis obſervatur, veluti in ſurculis, ſole acriore extenuatis. Neque adeò abs re Theophraſtus, ἐνῶδες σφόδρα καὶ τοῦτο, καὶ μάλλον τοῦ δακρίου, carpobalſamum benè odorum & ipſum eſſe prodidit, & magis quàm lacrymam, utpote quod exquiſitius ab inſito calore ſubactum liquorem, ſpirituque plenum contineat; quamvis accuratiſſimus ſenex de præmaturo, admodumque recenti balſamico ſemine intelligendus ſit.

Cætera viſum quidem Galeno fuit, lignum fructuſque balſami adulterio haud obnoxia eſſe: monet tamen ingenuè Dioſcorides, quid callidi olim impoſtores hic quoque auſi fuerint. Nam aſportari, inquit, è Petra oppido ſemen hyperico ſimile, quo carpobalſamum vitiatur, cognoſcique fraudem, quod illud majus ſit, inane, ἀδύναμον, facultate, viribuſque deſtitutum, πεπρίζον τῇ γεύσει, ſapore piperis. Cum verò non percepiſset Dioſcorides, quid eſset, quod per fraudem ſubſtituebatur; ſed cui id ſimile fuiſset, exiſtimarunt viri doctiſſimi, aut terebinthi ex Arabiæ Petra delati ſemen ſubſtitui potuiſse, quod veluti genuino carpobalſamo colore, figura, magnitudine; ſic lenticulari hyperici ſiliquæ diſſimile non eſt: aut ex eadem regione ſylveſtris balſami fructum ſupponi. Quorum alterutrum ſi ita fuit, innoxia ſanè fraus extitit, ob naturæ, virtutumque inter hæc ſingularem coniunctionem.

Sequitur naturalium affectionum deſcriptionem, actionum particulariū explicatio, variisque in morbis profligandis utilitates ſummæ. Hanc etiam inter veteres optimè omnium, & diligentiſſimè recenſet Dioſcorides, cujus

veſtigia

vestigia pari passu Arabum princeps pressit. Orditur autem à liquore, cui δύναμιν ἐνεργεστάτην, vim efficacissimam tribuit, utpote qui maximè calefaciat. Hoc verò quà ratione determinandum sit, habito ligni, fructuumque respectu, satis superius ex Galeni, & Abensinæ sententia declaravimus. Inter particulares effectus, abstersionis meminit, τῶν ἐπισκοτούντων τὰς κόρας, eorum quæ tenebras pupillis offundunt. Quo nomine, licet innuere videatur sordium remotionem, exterius è regione pupillæ ceratoiden oculi tunicam obfuscantium: interpretandus tamen etiam de discussione excrementorum pituitosorum, circa uveæ membranæ oras, & in ipsa pupilla obhærentium, cumque visionis discrimine spissitudinem acquirentium. Imò, quid velit hic Dioscorides optimè declaravit Strabo, cum Opobalsamum τὰς ὑποχύσεις ἀρχομένας, καὶ ἀμβλυωπίας suffussiones incipientes & hebetudinem oculorum solvere scribit. Apponitur oculi affecti palpebris, molli linteolo illitum: cumque medicamenta hypochymati exactius convenientia, nõ solùm tenuius humidum discutere debeant; sed etiam crassefacta attenuare, atque indurata remollire; balsamica substantia tàm calore suo, quam pinguibus resinosisque partibus, malo oculorum enarrato modis omnibus egregiè opitulatur, saltem incipiens sit affectus. Nam quæ pedem iam fixit ægritudo, sine chirurgia tolli nequit. Addit Strabo, eandem λύειν τὰς κεφαλαλγίας θαυμαστῶς, solvere mirè capitis dolores. Neque enim obstat, quod scripserit idem, Arabes suaveolentium rerum usu stupore corripi, qui graveolentium adhibitione removendus sit. Etenim

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Vltra quos, citraque, vel saluberrima remedia vertuntur in perniciem. Rectè Hesiodus

Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεείνη.

Iuvat autem Opobalsamum, qua assumptum, qua exterius admotum. Assumptum, quia redintegrata cibi digestione, vaporum ad caput ascensus minuitur; admotum verò, quia collectos vapores discutit, & resolvit. Matricis refrigerationibus porrò mederi testatur Dioscorides, cum Cerato adhibitum rosaceo. menstrua mulierum, secundinasque ducere, & extrahere fœtus quæ partim calori, qui recentiore adeoque tenuiore succo magis penetrabilis: partim suaui eiusdem halitui, qua uteri expultricem roborat, accepta ferenda sunt. Rigores illita solvit, facta vaporum putridorum dissipatione. Vlcera sordibus fœda purgare, chirurgis cognitissimum est. Per os item acceptum Opobalsamum ventriculi facultatem concoctricem adiuvat, cietque urinas, undè inter calculos minuentia, eaque selectiora dudum inclaruit: quippe, quod non tantum penetrabili calore synagmata sive concreta lapidosa dissiungat; sed contractam renum debilitatem, siccitatemque, unguinoso madore temperet, & corrigat. Exhibetur hunc in finem utilissimè boli forma, quemadmodum in usu te-

re-

rebinthinæ consuevimus, anonidis, aut lithospermi pulvere subactum. Convenit anhelosis, atq; ut inferius meminit Dioscorides ὀρθοπνοικοῖς, ęgrè nec nisi recta cervice spiritum ducentibus; quorum bronchis impacta lenta pituita, cum non simplicem tantum exsiccationem postulet; sed validam etiam absterſionem; ipsi præterea pulmones à putredine vindicandi sint, vix erit medicamentum, quod in hoc symptomate sublevando, Opobalsamo præferamus. Sumitur ad scopum hunc consequendum per os, radicũ helenii pulvere permistum, & linctu pariter asperæ arteriæ insinuatum, oleo prius amygdalarum dulcium solutum. Exhibuerunt idem veteres in lacte, iis qui aconitum hauserant, ocyssimum venenorum, & quod non vanè è spumâ Cerberi natum fabularunt. Quin & à vipera demorsis: neq; alia hercules causa, quod balsamicum liquorem optimis quibusvis antidotis permiscuerunt. Quamvis etiam acopis addiderint, id est, medicamentis lassitudinem, dolorumque molestias eximentibus, & malagmatis sive indurata præter naturam emollientibus.

Verùm ut φασικωτάτην δύναμιν, vim efficacissimam Opobalsamo; sic proximam potentiam fructui sive carpobalsamo tribuit Dioscorides. Hoc igitur, præter enarratos effectus omnes, quos præstat, etiam pleuriticis, peripneumonicis, tussientibus, potu datum benè facere scribit. Non tamen existimandum conferre posse, cum validæ inflammationes pleuram, pulmonesque insederunt; sed cum his, aut quiescentibus, aut remittentibus, purulenti sinus expurgandi sunt, corruptela partium inhibenda, facilesque ἀναχρίμψεις, sive expectorationes accelerandæ. Accedit ex iisdem utilitas ischiadicis, epilepticis, & vertiginosis, quotiescunque immodicè succrescens phlegma, partim absumendum, partim ad ureterum ductus derivandum, cerebrumque ipsum Hippocrati τοῦ ὑγροῦ μεστὸν ὄντος, siccandum, & corroborandum fuerit.

Postremò, lignum balsami quamvis minimum virium sortitum sit, usu tamen haud aspernendum esse concludit Dioscorides. Etenim adversus cruciatus, alvique tormina, tùm cruditates, & venenatos serpentiũ morsus auxiliari testatur, ex aqua decoctum, & potum. Imò βοηθεῖν τοὺς σπασμένους, juvare contractos: nam sive morbum frigidior nervosarum partiũ intemperies invexerit, sive Hippocrate auctore ingentes πληρώσεις, ἢ κενώσεις, repletiones aut inanitiones, utique tam calore suo profecerit medicamentum, quo frigus inimicum oppugnat, & superflua discutit, quàm resinosa substantia qua convulsa relaxat. Capitis item vulneribus, cum Iride sicca aptum Xylobalsamum tradit, idque non de cutaneis tantum; sed gravioribus, adeòque ossium, meningum, ipsiusque cerebri divisionem inferentibus, habendum est. Nam ut ex auctore patet, arefacti Xylobalsami pulverem iridi mistum, denudatis capitis ossibus, & in quibus τῶν λεπίδων ἀναγωγὴ, squamarum eductio procuranda, usurparunt. Consuetum

id

id aliàs priscis Chironibus fuit, qui contusorum ossium separationi studentes, ex aristolochia, corticibus radicum panacis, Olibano, iride Illyrica siccos pulveres, tum aliis, tum cranio præcipuè læso inspergebant, cephalicos ob hoc ipsum appellatos, suadente pariter hoc auxilium medendi præceptore Galeno. Inutiles quidem eos judicat vir clarissimus Ludovicus Septalius, si ex Magati sententia rarò vulnera detegantur, calor partium naturalis foveatur, decensque puri collecto exitus paretur. Attamen haud rarò contingit, ut insignis partium sauciatarum debilitas, adeoque purulentæ sordis ingens proventus, & ob situm vulneris decliviorem effluxus excrementorum difficilis, majus ab exsiccantibus pulveribus propositis præsidium efflagitet. Efficacior tamen, & evidentior etiam ossibus læsis Opobalsami profectus est. Vtor eo, dum hæc scribo, in puero, cui temporum os dextrum ex lapsu, duplici fissura graviter læsum erat, felicissimo successu. Nam postquam exiguo, stellatoque terebello osse perforato, viâ apervissem coercito subtus puri, liquoris Arabici tepidis aliquot guttis, pini lacryma dilutis, & vulneri inditis, partium contusorum separationem, carnisque regenerationem, facili opera natura consecuta fuit. Subiicit his omnibus Dioscorides, spissamentis unguentorum Xylobalsamum esse adhibitum, neque id sanè inconvenienter. Cum terrea siccaque sui portione bibere liquidiora potuerit, simulque densare, & suavi etiam halitu gratiam unguentorum vel fovere, vel augere.

Hæ tam præstantium facultatum dotes, cum in Arabici balsami liquore, non tam meis, quàm Aegyptiorum, Arabumque crebris pariter, ac certis experimentis clarissimè refulgeant: cum notas etiam tam bonitatis, quã sinceritatis easdem ad amussim exhibeat; plantam denique genitricem, natura, atque habitu eandem sortitus fuerit, quam nobilissimi auctores descripserunt, quisquis illum genuinum veterum opobalsamum hauddum agnoscit, eum palam est, aut sensuum aut rationis impotentem esse. Iudicarunt idem, præter allegatos initiò. I.C. Scaliger, E. Cæsalpinus, G. Fallopius, I. Costæus, C. Clusius, M. Lobelius, P. Mattheolus, viri materię medicæ cognitione hoc æuo principes.

Cæterùm, vt olim antidotos celebriores componentibus, non rarò propter paucitatem deerat hæc gratissima resina; sic etiam hodiè, ob causas superiùs adductas, & ingentem Theriaces in tot urbibus componendæ quantitatem, paucissimis sufficit. Cogitarunt itaque viri salutis publicæ studiosi, quid opobalsami deficientis locum vicesque subire posset. Aptissimum judicantes, quod eidem substantiæ ratione cognatum, quod facultatibus, vel omnibus, vel saltem præcipuis proximum existit. Galenus summorum principum judicio, in antidotis componendis accuratissimus, absente balsami lacryma myrrham stacten adoptabat. Fuit hæc, vt disertè protulit Theophrastus, ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον, ῥέον, ex lacrimata recenter myrrha,

jamque

jamque concreta pars tenujor, ejusdem contusione, & expressione eliquata. Dicitur oleum, quia fluida, oleique lentore prædita deprehendebatur: stacte item, διὰ τὸ μικρὸν σάξειν, quod paulatim stillaret: quemadmodum residuum ejus in offas convolutum, myrrha ficta, σμύρνη πλαστή. Miscebatur quidem aliàs myrrha Theriacæ; stacten tamen opobalsamo succedaneum constituit rei medicæ instaurator, quandoquidem hæc, positis partiũ crassiorum impedimentis, tam resinosa substantia, quam temperamenti harmonia, & actionum omnium æmula virtute, balsami liquorem propius attingebat. Nec fugiebat medendi præceptorem, quod aucta myrrha, myrrhinus odor antidoto conciliaretur, (qui displicuit Oddo) quia balsamicarũ virium accessionem potjùs; quàm odoris consueti mutationem aliquam respiciebat. Imitabimur Galeni diligentjam, si myrrham selectissimam vini spiritu solutam, semotis prius terrenis fęcibus, spirituque caloris artifici gradu iterum abstracto, ad liquidjoris resinę modum, habitumve revocemus. Incedunt eadem cum Galeno via, qui cognitas hoc œuo prącipuas resinas opobalsamo vicarjas cõstituũt. Tales ex Indiis allatę sũt Tolutana, & Pervana lacryma, quarum utriq; propriis appellationibus posthabitis, vulgus mercatorum balsami nomen fecit. Præstantior ex his Tolutana, quam Pino similis arbuscula, vulnerato cortice fundit, tam odora fragrantia, quàm virtutum omnium explorato specimine Arabum opobalsamo valdè cognata. Eligenda, quæ aurei adhuc coloris, saporis haud ingrati, Iasmini suaveolentiam quodammodo spirans, nondum valdè condensata; sedquę putaminibus nucum Indicarum modicè calefactis promptè effluit, quibus inclusa plerumque mittitur in Europam. Harum quoque defectum supplere liquidas, & fragrantes lacrymas, quas è tenellis terebinthi, abietis, pistacei, pinique ramis, laxatus peritâ manu cortex, vernantis anni tempore promit, nemo dubitabit, qui justis ponderibus, tam substantiæ cum opobalsamo, quàm facultatum consensum examinabit: licet è terebintho Cypria flauus liquor, arte Hermetica prolicitus, cum sit calidior, tenuiorque ejusdem pars, Mesue, Fallopio, Renodeo, Lobelio, viris in æstimanda simplicium medicamentorum natura peritissimis, dignus visus fuerit, quem deficienti opobalsamo substituerent. Ad vires magis excellentes respexerunt, quàm temperamenti, & facultatum similitudinem, qui destillatum è baccis juniperi, lauri, mace, caryophylis aromaticis oleum, aut è seminibus citri & nuce myristica expressum, balsami resinę submittendum judicarunt: quorum tamen hoc, quemadmodum stillatis oleis temperatius, odore suavius, paratuque facilius; ita clarissimorum virorum punctis, calculisque magis receptum est. Fructui balsami cubebas in commentariis supponit P. Matthiolus, cl. Alaymo surculis illius, utriusque lauri corticem. Vix tamen carpobalsamo, maturis terebinthi fructibus, & Xylobalsamo vegetis ejusdem ramulis, quicquam similius obvium habemus.

Hęc

Hæc sunt mi Peregrine Pitori, quæ pro declaranda Dioscoridis sententia de balsamicæ resinæ tam natura, quàm facultatibus, in Patauino Serenissimæ Reip. Archigymnasio, variorum nationum auditores publicè docui: adhibita etiam in examen illa ipsa, quam pharmocopœis aliquot patrocinaturus reiicis; quam mistæ, larvatæ, falsæ, factitiæque titulis proscribis. Ascendere tribunal voluisti, quod diu sub Augusto Cæsare corruisse memorat Dio, spretaque lege Clodia, tanquam reo provocationem adempturus, egisti censuram; quodque iniquius, de re neque inspecta diligentius, neque experimentis tibi cognita. *Solis, inquis, ex Cl. Baldi dictis, quasi per cuniculum quendam, ad totam hanc labefactandam doctrinam irrepere, & ex scripturis elicere veritatem mihi propositum est, quando non amplius experimentum haberi possit. Auidi enim non minus medici, quàm pharmacopæi, pretiosa antidota componendi, ilicet atque Venetias adductus est liquor, Theriacas pararunt, omneque protinus dissipavere residuum.* Atque utinam intra censoriam grauitatem, & modestiæ fines, quam verbis tuis tibi quidem tribuis, contineri potuisses, aut innatæ mentibus humanis caliginis meminisse, quam exordio libelli inducis. Nunc irrumpis, & laudatum à prudentissimis, doctissimisque Vrbis archiatris balsami succum *tanquam personatum generosissimis ausis te propulsare præfaris, atque à cunctis exsulem Europæ provinciis, ad Capitolinam tandem arcem, veluti securissimum periclitantis auxiliũ, & dilinquentis asylum confugientem, ab ea dare præcipitem, jamque tædiosam lucis sarcinam sustinentem, merita laceratione dispendere. Mox pusillum te bellatorem scribis, & cum robustissimis hostibus manum conserere non pertimescere, ut parmam albam illustri hoc facinore delineare possis.* In progressu posita claua, & leonino exuvio, viris præstantissimis, B. Baldo, & P. Castello effusè blandiris, quorum huic summum doctrinam, ingenii mirandam ostentationem, & præclara merita: illi charitatem, maximamque pietatem tribuis, quod approbarint, & defenderint liquorem, quem ceu falsum, larvatumque disperdis, & exulare jubes.

Campios non minus varia doctrina; quàm materiæ medicæ notitia laudatissimos, commendationem, inquis, mereri, quod sensum suum, licet non verè, liberè tamen, & sincere proposuerint; quamvis in scriptis eorum, vbi tenebræ tuæ fuerint, ne verbo quidem innuas. Nec juvat, te censore, sinceritas, & libertas ulla Iosephum Donzellium, Francisci Perlę testimonio, simplicium medicamentorum investigatorem solertissimum, quem solum inverso pollice damnas, quoniam *auctoritati tantum quorundam confisus, rationem, & experientiam dimiserit, & de ignotis sibi pronunciare non puduerit.* At verò Pitori, dum aliorum dictis, scriptisque totus intentus, hanc tantum censuræ tuæ excusationem affers, quod excell. virorum asserta, vel infirma, vel à judicio tuo aliena sint: dum de re tibi non perspecta, alienum affers experimentum, non tuum, quas tibi compedes ipse fabricaris, quove

flammeolo pudori tuo consulveris, tute videas. Suspicionem quoque moves malæ causæ, quod sententiam judices de medicamento delato nondum tulerint. At ea penitus vana est. Quis enim cum Menandro nescit, ἄγει πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος, veritatem in lucem extrahere tempus? moramque hanc non crimen in re; sed cognitionis difficultatem arguere. Cæterum absolverunt Opobalsamum viri, qui maximè de natura eius atq; optimè judicare potuerunt, in quorum suffragiis haud dubito clarissimos arbitros pariter acquiescere: quorum hic singularem imitari prudentiam debebas, quod in materia non omnibus modis sibi perspecta, Hippocraticum illud seriò sequendum existimarint, μηδ' εἰκῇ, μηδὲ παροράν. Excessus denique improbati à te Opobalsami, tam emptores, quàm assertores. Illos quia sibi comparaverint id, quod ex meis dictis commune balsamici liquoris nomen præ se tulerit: hos, quia probaverint succum, in cujus distinctione cum verum à falso cernendum, etiam peritissimos quosque falli potuisse, fateatur Galenus. Te interim extra peritissimorum discrimen ponis, dum assumpto non Dioscoridis, ut reris; sed interpretis filo, jam explicitum te labyrintho, jam ignorantiæ monstrum jugulasse scribis, perfectæque notitiæ portam reperisse, non dubitas: nempè quia lippos hic arbitraris clarissimos Vrbis archiatros; te solum

—— tam cernere acutum,
Quàm aut aquila, ut serpens Epidaururius ——

Quibus coloribus cum etiam cæcutienti satis exprimas, quos affectus ad hoc tribunal attuleris, quaque animi moderatione censorium officium peregeris, parcam ego operæ, & expressum parma tua facinus, siquidem publicæ luci exponere placuit, æternum esse facilè patiar.

Tangam igitur in scripto tuo ea præcipuè, quæ P. Alpinum celeberrimum antecessorem meum, meque propius spectant. *Immerguntur, ais, ævi nostri doctiores innumeris difficultatibus, dum non contenti his quæ Europa quotidiè subministrat, Opobalsamum, antiquis pretiosissimum, nostris desideratissimum succum, huc usque advocant, ex Arabia, &c.* Sed immergantur, Pitori difficultatibus, nō submergantur; imò enatent, atque ex alto illo rerum naturalium, educant nobiles veluti uniones, quibus rem medicam locupletent, & augeant, publico bonæ Valetudinis commodo. Quos stimulos generosis, doctisque animis in hoc studio gloria tantum non admovit? In exemplum venit poeta Carus, qui causas physices accuratiùs investigaturus.

Non me, inquit, animi fallit, quàm sint obscura, sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit Musarum in pectus amorem.

Nec inanes fuisse laudabiles conatus, ostendit ex utriusque Indiæ mercibus, utilium medicamentorum ingens accessio. Veteres utique pharma-

cis

cis Europæis contenti non fuere; sed undecunque cœlestis favor ostendit ad morbos remedium, grata manu sumpserunt.

Οὐ θέμις ἐστὶ ἀτόβλητι θεῶν ἐρικύδεα δῶρα.

Ne Theriacem quidem magna parte Europæis præsidiis instruxerunt; sed exoticis ex Asia, Aphricaque petitis. Alebant in Creta rizotomos suos Imperatores, qui non dictamnum tantum

Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo ——

Sed etiam scordium, chamædrin, marrubium, obvias Italiæ plantas, cistellis plenis urbi submittebant. Facti rationem affert Plinius, quoniam invaserat animos persuasio infinito præstare quæ in Creta nascuntur, iis quæ tellus alibi producit, quantumvis eiusdem generis. Diligentiam igitur antiquorum æmuletur necessum est, quisquis eorum inventis frui volet, vitandisque difficultatem scopulis viam eandem ineat, quam vestigiis suis illi expresserunt. Chiragogum hic optimum è priscis se præbet Galenus, atque in hoc ipso, quem contemnis, eximio succo. Nam in ejus exquisiore cognitione, cum fraudibus, & technis adulterantium vix explicare se posset, profectus in Palæstinam ipse fuit, ut cultam regiis in hortis plantam videret, & illa

—— *odorato sudantia ligno*
Balsama ——

Particulam indè liquoris sumptam, semper secum habuit, spurio, legitimoque dignoscendo veluti regulam. Itaque inclamat etiam hodie studiosis, præcipuum esse in materiæ medicæ cognitione, eam videre ipsam, nec semel; sed frequenti inspectione, quale sit optimum observare. Fugiendum esse Pamphili institutum, qui quas non viderat herbas scritis divulgarat. Ridebat olim id hominum genus Heraclides Tarentinus, et præconibus similimum ferebat, qui formam, ac notas fugitivi mancipii, licet nunquam viderint, voce tamen sua publicant: fieriqne, si forte is quem præconio indicarunt propè adsistat, eum tamen ut non agnoscant. Et, inquis, ex Arabia advocant Opobalsamum antiquis pretiosissimum, nostris desideratissimum succum.

Ad vocandum autem ex Arabia nunc esse, fateris ipse, quippe quæ nata ejusdem tellus, & ex qua tot jam seculis repetitum fuit, quicquid in Imperatorum, principumque manus pervenit, quod genuini opobalsami titulo meritissimus quisque dignatus est. Scio, inimicam esse, & infestam christiano nomini regionis huius gentem, adeòque aleæ periculosæ plenum opus curiosius quicquam in ea scrutari. Nec profectò tanti est, abiectis christianæ professionis insignibus, niveo turbine caput impedire, Mahometanum simulare, ut constet balsamicum succum, vulnerato cortice, an ignis vera barbari colligant. Substiti ergo in propinquis Aegypti emporiis,

quibus nullo non anno, quod melius, deteriusve opobalsamum, quod simplex, aut mistum, haud difficulter discere potui. Fecerunt idem inclyti viri, quorum industriæ notitiam & usum eximii hujus medicamenti debemus. Advocabimus igitur ex Arabia opobalsamum, & iniustis ereptum possessoribus, in rem nostram vindicabimus. Sumemus à profano populo sanitatis curandæ auxilia, à quo thura accipere non dubitamus, quæ damus Deo.

Cur pretiosissimum antiquis opobalsamum fuerit, exposui superius, tui cur id desideratissimum scribas, mirari subiit, in ea urbe, quæ assiduo cum Syris, Aegyptiisque commercio, apud nobilissimos civium copiam eius haud contemnendam semper obtinuit, semper obtinebit, ut minimè tibi desperandum jurè existimes, ab Excell. Aemylio Parisano, quòd asserere voluit opobalsamum, in urbe Veneta posse demonstrari. Mihi ad pauci mensibus in ea degenti, antequam orientales provincias cogitarem, optimæ notæ conspectum fuisse jam ante affirmaui, certusque sum, apud aromatarios diligentiores obvium esse. Observavi id in eadem urbe, pauci antequam hæc prælo subjicerentur mensibus, laudabile, satisque copiosum quod Illustrissimus Antonius Capellus, Venetæ nationis olim in Aegypto consul in patriam secum attulerat: quodque meritò à Clarissimis Romani archiatris laudatum, dignumque habitum fuit, ut omisso succedaneo, per Antonium Manfredum, virum in componendis veterum antidotis accuratissimum, Theriacæ denuo misceretur. Possident idem in hac Patavina civitate, pharmacopæi primarii omnes, & in Museis suis, viri Cl. Io. Dominicus Sala, & Guilelmus Soiherus, quod à Matthio Rom. Imperatore, Lignicensis princeps dono olim acceperat. Quamvis omninò frustra sit, quicunque in opobalsamis, temporis diuturnitate jam plurimùm densatis, recentis liquoris notas, & experimenta præstolatur.

Pejus illud est, quod non immeritò à quibusdam dubitari refers, an verè balsami lignum ad nos, & semina ferantur. Sed dubitent homines, qui paralogismis suis impliciti mentem exporrigere nequeunt. Ego plurimùm utriusque quotannis ex Arabia delatum conspexi, ex quo Venetis, Belgis, Anglis, Gallis in Cahiro degentibus, æqua semper emendi potestas fuit. Hoc ipso quo scripsi anno, tam semina, quàm ramulos genuini balsami etiamnum probos, & odoratos Venetiis accepi, quos inter auditores, cum publicè naturam horum & egregias facultates explicassem, distribui. Cum autem insitam odoris ἰυτονίαν, adeòque virium suorum robur non adeò longo tempore sustineant, in precedentibus expositum est. Sed hæc ut non tam eam, quàm grauissimorũ virorum, qui se legitimũ balsami lignum fructuſq; vidisse testantur, auctoritate tibi persuaderi tandem pateris; ita *licentiosum nimis fore, & temerarium scribis, talem ac tantam ejus copiam constituere, qualis & quanta quotidiè in officinis visitur, nec verum à falso, & à falso factitium separare.* De quorum altero, sententiam tuam libens amplectos, & ἀκρίβεια

in

in examinandis hujus generis liquoribus laudo. Quæcunque tamen hic secerni queunt, eum optimè cum Galeno distinctum asfero, qui non tantum notas à veteribus traditas in eorum libris peritè & curiosi expendit; sed confirmatum multiplici inspectione sensum, & judicium pariter adhibet.

De copia illa opobalsamorum, quam in officinis vis quotidie videri, judicent viri exercitati, Arabicæ, proprièque sic dictæ balsami plantæ liquores sint, an ex Indicis resinis odorati succi. Equidem opobalsami Arabici recentis, cum illa scriberes, non copiam in officinis Venetis; sed inopiam fuisse, satis à te proditum est, cum testeris, liquorem tibi quidem abiectum, *ilicet atque in urbem adductus, à medicis non minus quàm pharmacopolis, antidota pretiosa componere cupientibus, auidè coemptum, & residuum ejus omne dissipatum* fuisse. Concedam interim, optimi quidem illius; sed annosi, jamque obsoleti ex Arabia opobalsami Venetiis apud proceres, & illustres cives, urbisque aromatarios, majorem quam in vlla Europæ civitate quantitatem haberi, diversis temporibus ex Aegypto aut Syria allati, quod ipsum tamen ob ætatis vitium, speciei suæ ordine expellere, & nomine gentilitio priuare, vel tuis verbis licentiosum foret, ac temerarium. Abundare autem posse Arabes, pretiosa veteribus lacryma, nemini obscurum est, cum abundent ejusdem genetrice planta quæ tam actis ab radice germinibus, quam ex fœcundo semine, facilem sui propagationem admittit. Aegyptii paucis lustris calami sacchariferi cultu tantum profecerunt, ut jam non suos; sed Byzanthium, & Venetias insigni sacchari prouentu instruant: fieri idem posse de balsami succo, si cura similis & studium accedat, ambiguum non est.

Itaque nec in Prosperum Alpinum satis æquus es, virum optimè hic, maximèque promeritum. Duo enim sunt quæ obiicis, *ignorantiam veteribus ignorantem cum attribuisse; succum deinlè tibi desideratissimum, adeò trivialem constituisse, ut cuilibet habendi facultatem concesserit.* Vtrumque Pitori parum circumspectè. Nam veterum scriptis siquis cum oculis animum acriter advertit: si quæ de balsami planta, surculis, succo, seminibusque Iustinus, Pausanias Solinus, Tacitus, Plinius tradidere, prudenter examinat, tam dissona, frontibusque adversis pugnantia, in argumentum ignorantiæ non trahit, illi parum liquidè constare potest,

—— *quid distent æra lupinis.*

Illos ipsos rei herbariæ summates scriptores, arbusculæ balsami faciem integram exactiùs haud cognovisse, minimè obscurum est. Theophrastus enim quæ de balsamo scripsit, aliena fide retulit: adeoque historiam eius his orditur, παραδείσους ἔνια φάσι δύο μόνους, hortos esse aiunt duos tantum: quemadmodum capite præcedenti de Casia & cinnamomo, περὶ δὲ κιννάμωμου καὶ κασίας ταῦτα λέγουσι de casia & cinnamomo hæc dicunt. Dioscoridē autem palàm est, Theophrastum auctorem sequi. Quamvis enim sese pluri-

ma

ma δι' αὐτοψίας, sive inspectione propria observasse profiteatur, quædam tamen ἐξ ἱστορίας συμφώνου, ex historia consentiente se deprompsisse, non diffitetur.

In altero quod obiicis, quis P. Alpini mentem, etiam per sparsam à te nebulam haud intuetur? Dederat opobalsamum magnis Hetruriæ ducibus, observantiæ suæ monumentum & pignus. Itaque nil humile, nil abiectum in trivio de re sentiebat, cuius Virtutem scriptis quoque opere maximo extulerat. At cuilibet, inquis, habendi facultatem concessit. Cui verò bono id non sit bonum? & vel cum Crasso aliquo de munificentia contendat Prosper noster. Concessit autem exteris omnibus, annis sexaginta jam exactis in Aegypto secum degentibus. Hodie an major in Cahiro, & Alexandria balsamicæ hujus resinæ copia reperiatur, affirmare nnn ausim: præsertim cum jam ab annis tredecim in tumultus exarserint Arabes, concusso quo premuntur Scythico jugo, si non excusso. Tum verò quid fieri amet, &

—— *quo discordia cives*
Perducat miseros ——

In aperto est omnibus. Vt contingere possit, etiam Byzanthio primatibus aliquando non suppetere, quod in re populi tranquilla repertu non difficile erat. Ad dynastas imperii Turcici, quantum olim opobalsami peruenerit, satis Alpinus indicavit. Mitti enim imperatori tres quatuorve libras scripsit, Aegypti proregi libram, præfecto seu duci peregrinantium semilibram, quę tum ab ipsis, tum in amplis ipsorum gynæceis, quàm citò disperdantur, in compitis Cahiri notum est.

Sed præter longinquitatem regionis balsamiferę, causam alteram litium & errorum affers, quod medici vestri ab antiquis doceri nolint. Mihi tamen, Pitori, certum est, optimum quemque, & eruditissimum vestrorum, doctrinam antiquorum haud aspernari: nec transfugam hic ullum esse in aliena castra, nisi qui λάβῃ τῆς φιλοσοφίας, ansam philosophiæ, ut Xenocrates olim aiebat, capere nequit. Cæterum, quandoquidem è priscis illis doctoribus, si Galenum excipias, vix aliquis est, qui viventibus oculis, vel plantam balsami, vel succum eius in Palæstinæ viridariis usurpavit, laudo quàm maximè, quod Ariadnen tibi sequendam proponis Anazarbæam, cuius filum tanquam probatissimum omnium, unicè Galenus nobis commendat, planèque confirmor, saltem id dextrè teneas, evasurum te dolos illius tecti, & monstrum debellaturum τῆς ἀγνοίας.

—— *mistumque genus, prolemque biformem*:

Nunc altius discursus ut ais, tui fundamenta jacturus, non Plinium tantum, vix à Virbio saluti restituendum, Dioscoridi jungis; sed etjam Sethum, & Saladinum, auctores, qui diversa, imò contracta Dioscoridi scribendo, quid aliud agunt, quàm rupto quo regebas vestigia filo, in laborem ut abducant,

& er-

& errorem inextricabilem.

Proponis ex Proſpero Alpino primùm Opobalſami veri qualitates, quas cum tempore mutabiles vocas, atque ex his odorem, ſaporem, colorem, & in craſſitie aut tenuitate ſubſtantiæ modum. De odore ſatis habes, ſi ſcribas, thure, & terebinthina præſtantiorem eſſe, cætera non multum de eo te ſolicitum. At ſecus in hoc odoratorum examine egit Galenus, qui Caſiam, & Cinnamomum exploraturus, inter neceſſarias præcipuaſque notas odoribus intentus fuit. Equidem roſas, androſæmum fœtidum, anonidem luteam, dictamnum, caryophyllos, ſcrophulariam, coſtum hortenſem, inter mille plantas propius odor facilè manifeſtat: neque id ſolùm cum integritatem, aut bonitatem reſpicimus, ut videri vis; ſed quoties inveſtigamus, & quærimus ipſas.

At hanc, inquis, *provinciam, tanquam optimè ſuperatam*, Stephano de Gaſparis te concedere. Fruſtra Pitori. Quàm vellem non ſuperaſſet; ſed cum P. Alpino, proprium Opobalſami odorem deſignans, in majore thuris, & terebinthinæ fragrantia, qua par erat moderatione, perſtitiſſet, quam veluti per gradus inſiti caloris vigor, eiuſdemque diſſolutio, intendit, ac remittit. Nunc contra ſenſum peritiſsimorum hominum, contra ſententiam tuam, ridiculâ penitùs hyperbole, rei iuxta tecum cum ſcriberet incognitæ, ſuavitatem affingit, non Indicis tantum odoratis mercibus majorem; ſed ut verbis eius utar, ambra, moſco, zibeto, belzoino, & *quacunque re odorata, quæ in noſtro hemiſpherio ſeu à natura produci ſeu ab arte conſtitui poteſt*. Hoc tibi quidem probatiſsimum ſit aſſertum, hæc maximè miranda doctrina: ego Stephanum intra ſenſus, ac rectæ rationis gyrum revocandum, viris doctiſſimis libens permitto. Neque illum tamen apertè tibi adverſari perſpicis. Totam enim Opobalſami naturam in odore ponit, adeòque indelebilem ab eo vim exiſtimat: tu ne quidem inter ſigna, ſuccum hunc ab aliis diſtinguentia, odori locum relinquis. Ille infectionis abſentiam, condenſationem lactis, celerem diſſolutionem, & lactescentiam, non propria Opobalſami attributa; ſed ipſius balſamici *odoris germina, & immediatos effectus* pronunciare ſuſtinuit. Tibi nihil magis cordi, & curi eſt, quàm ut ex iiſdem attributis differentiam extruas ſpecificam, quæ Opobalſamum ab omnibus, ut loqueris diverſi generis ſuccis diſtinguat: & in quam magis minuſque non cadat: quorum hoc quantum abeat à vero, ſuperius expendi.

Inter notas probi Opobalſami cum Dioſcoride requiris, ut ad acorem non vergeat, cui rei ratio conſtat evidentiſſima. Cave tamen exiſtimes, vetuſtatis tantum id vitium. Nam quodcunque vegetæ naturæ Opobalſamum, ſine cauſarum externarum gravioribus iniuriis ad ſenectam ætatem pertingit, aciditatem nec guſtanti manifeſtat, neque adoranti. Præterea, ſcripſi ad Cl. Baldum, balſamicum liquorem lac non niſi debiliter coagu-

lare;

ſare; imò ne hoc quidē prestare, niſi recens; niſi ſpiritu acidulo etiamnū prę-gnans fuerit: quorum poſtremum ſic te accepiſſe coniicio, ut notam exco collegeris, inter malas haud infimam, *quaque mediante*, ut ſcribis. *Dioſcorides, non optimum expertus fuißet Opobalſamum; ſed peſſimum.* Mihi verò, Pitori nunquam in mentem venit, ut exiſtimarim, Opobalſamum recens optimæque notæ, quodque acido adhuc ſpiritu præditum aſſero, ſapore acidum eſſe, quem potiùs abeſſe debere, ſeriò cum Dioſcoride contendo. Equidem, quod fugere te non decet, ſeparat inſitus calor, ſubiectæque materię domitor, vaporis ſpecie ſubſtantiā a queam tenuem, particulis aeriis terreiſque ſubtiliſſimis permiſtam, quam ſpiritum Hermetici, & Mercuriū nuncupant. Hanc recluſis quibus liquor continetur vaſis, qui naribus haurit, acrem percipit, atque evidenter acidam: imò & ſapore talem, ſiquidem arte exceptus halitus in ſubſtantiam priſtinam reſolvatur. Effundunt hunc ſpiritum copiosè, reſinæ omnes recentes, & præcipuè dulces ſucci, cum effervescunt, ut in muſto, melle, pomorumque ſucco notiſſimum eſt; ſalva tamen ſaporis dulcedine, quamdiu penes calorem ingenitum victoria ſteterit. Eundem quâ pyrotechnia tum ex reſinis ſucciſque dictis, tum ex miſtis corporibus cunctis educere liceat, paſſim in tyrociniis ſuis inculcant al Kimiæ magiſtri. Hoc itaque volui, & in recentis optimique balſami liquore, ſupereſſe adhuc, tenuem hanc acidulamque ſubſtantiam, celerioris penetrationis, majoriſque condenſationis præcipuā cauſam, quamvis ſaporem ipſe acidum non obtineat, quamdiu penes inſitum calorem dominium viget.

Porrò τὸ ἀδίετον Dioſcoridis, cum interprete per facilem dilutionem exprimis, addiſque rationem rei prorſus adverſantem: nempe quia tunc facilimè cum aqua miſceatur, forſan arrepto verbo, quod contra mentem Abenſinæ imprudenter interpres pro ſolvitur, invexit. Te verò ſcire decet, quæ facilè diluuntur ſolvunturque, promptitudinem quidem miſturæ ſortiri; non omnia tamen omnibus ſic affecta miſceri. Liquor de quo agimus reſina eſt, ſive Theophraſti verbis, ὁ τὸς δακρυώδης τιότητα ἔχων.

Affers ex additamentis etiam translatorum nomen levitatis, cum λειότητος ſignanter meminerit Dioſcorides: quorum hoc, ut lenitatis, & lubricitatis nomine capias facilè permittitur; non item ut levitatis, cujus ſenſus aliorſum tendit.

Sed hæc minoris æſtimationis: accedis mox *ad facultates illas, quæ u. pudiciſſimam Opobalſami naturam valent revelare, neque in ſe ipſis mutationem ullam à loco, à tempore, à planta, & ætate recipiunt.* Mirabar ſanè Pitori cum hæc legerem, diuque ambiguum mihi fuit, an hæc dum aliò mentem ſenſuſque diviſeras, calamo excidiſſent, niſi eadem, utcunque mutati verbis, ante, retroque repetita cognoviſſem. Dum inquiro, quæ illa non mutabilium qualitatum ſyndrome, *Omni, ſoli, & ſemper Opobalſamo convenienſ,*

niens, notas adducis Dioscoridis, quibus liquorem hunc unguentis admistis vitiatum, à sincero distinguit. Verùm in rem caducam, communes rebus caducis affectiones expetere, notius est, quàm probatione ulla ut indigeat,

—— *redolent semper sua flumina pisces,*
Hi fatuas stagni, salsas illi æquoris undas.

Quapropter quod scribis *Busbequij Opobalsamum, à Cæsareis Medicis in dubium versum fuit, quod omnibus non ad amussim notis legitimo responderet, licet certo certius ex illo esse sciret, quo in Matabariæ hortis collecto, ab Hali Bassa donatus fuerat: talis defectus non cadebat in maculam; sed vel in calorem, vel in crassitiem, odorem, supernatationem, vel in alias notas:* tam facilè nego veritati consentaneum esse, quàm tu chartis id committere potuisti, totamque differentialem illam (ut verba tua referam) notarum syndromen, ex inhęsione, coagulatione, celeri fusione, & latescentia Opobalsami factam, non minus ex loci, temporis, ætatisque mutatione, varietatem subire affirmo, quàm colorem, odorem, saporem, & alias his cognatas qualitates. Et subire quidem necessariò, quia causæ mutationem afferentes sunt necessariæ. Nam cum affectus non inficiendi, lac densandi, celeriter se diffundendi, temperamentum liquoris eiusque systasin perpetuò comitentur, utrumque autem, partim ob insiti caloris in humidum sibi subditum incessibilem actionem: partim aeris ambientis reciprocas noxas, mutari necessum sit, necessum pariter fuerit, & ea mutari, quæ temperamentum, & habitudinem substantiæ constanter sequuntur. Rem ipsam abundè nimis patefaciunt, quotquot hoc ævo, atque antiquitùs cognitæ fuerunt, odoratæ pinguesque lacrymæ, in quarum classe Opobalsamum Arabicum, nemine veterum prohibente constituo.

Sed ô bone, quàm in te Menandri illud monostichon convenit.

Ἡ γλῶττ' ἁμαρτάνουσα, τ' ἀληθῆ λέγει.

Nam dum fateris, *facultates illas non inficiendi, lac cogendi, &c. nullam in se ipsis mutationem recipere, nisi quatenus crassitiem succus senescens acquirit, & difficiliorem eiusdem dissolutionem, tardiores quoque huiusmodi effectus redit*: quid aliud prodis, quàm magis minusque admittere has Opobalsami notas, atque ut tardiores, sic languidiores indies fieri: tandem etiam languidissimos, cum spissitudo liquoris sic increvit, ut liquiditatem suam amiserit Opobalsamum, quamvis optimum purissimumque extiterit. Memini recentioris, & sinceri hujus succi portionem, vasculo vitreo inclusam, cum in calidiore cubiculi angulo detineretur, intra annuum spatium, acquisito odore notabili, gnorismata Dioscoridis propemodùm exuisse omnia. Hoc itaque censuræ tuæ temperamentum adhibe, & quotiescunque Arabica hæc resina, in tanto locorum intervallo, fortuitorum injuriis quàm plurimis exposita, non omnibus notis qualitatum facultatumque suarum inte-

APHOR. XVI.

Victus humidus febricitantibus omnis confert; maximè vero pueris, & aliis, qui tali victu uti consueuerunt.

VIctus nomine, cum intelligat Hip. alimentorum usum, ut dictum est in Aph. IV. Gal. in commento, per *Humidum* explicat humidum potentia effectiua, hoc est humectantem. Et posteriores ampliant etiam ad humiditatem actualem, qua redduntur alimenta non modo mollia, sed etiam liquida. unde communitet dicitur Hipp. in isto Aph. præcipere febricitantibus alimenta liquida, & humectantia, tantoque magis si erunt pueri, aut de iis qui tempore sanitatis usi essent alimentis talibus. Rationemque reddunt mollitiei, & liquoris. Nam mollia, & liquida facilius deglutiuntur, quia lubrica, & facilius concoquuntur, quia concoctio est, quædam elixatio. Rationem vero humectationis accipiunt a Gal.; ut inde alimenta contraueniant febri, quæ est dispositio præter naturam sicca, & conseruent humiditatem innatam, quæ in pueris, & ascititiam, quæ in assuetis abundat. hæc enim similibus conseruanda, sicut febrilis caliditas contrariis remouenda.

Dubitatur autem, quia victus humidus auget putredinem, quæ est principium febrium putridarum, & per consequens febres plurimas auget, unde in iis non potest conuenire. Et quia non conuenit febricitanribus cum hydrope, nam ibi excedit humiditas. Sed omnia facile resoluit Gal. dicendo, quod conuenit febricitantibus ratione febris, licet non conueniat aliquibus ratione causæ, ut sunt qui febricitant a putredine, aut hydrope, talique fundamento posteriores resoluunt plura obiecta.

At

At maior dubitatio excitatur, cur Hipp. si voluit præcipere febricitantibus victum contrarium, & curatiuum febris, non dixerit frigidum, cum hic primo per se, & propterea magis contrariatur febri, quam humidus, qui contrariatur secundario, & per accidens: quia febris est primo, & per se excessus caloris, secundario vero, & per accidens, quatenus nimius calor digerendo corpus exsiccat, intemperies sicca.

A qua dubitatione cum nullus supposita Gal. expositione de victu humectante bene se expediat, nec se expedire possit; Ego concepi animo, quod Hip. per humidum intellexerit actu tantum, mollem scilicet, aut liquidum; eoque magis, quod in alimento est consideranda ratio propria, quæ est alitura, & non alteratio. Nam alteratio est ratio propria medicamenti; alitura autem sequitur ad formam actualem alimenti, præsertim in concoctione. Suasitque Celsus qui in lib. III. de re medica cap. VI. loquens de cibo apto febricitantibus veluti referens hunc Aph. inquit: *Cibus febricitantibus aptissimus est humidus, aut humori proximus*. Est autem humori proximus, qui est proximus liquido. Nam humor dicitur corpus humidum fluidum, unde humidus erit actu scilicet liquidus. Confirmauitque me in isto sensu Hipp: qui in lib. proprio de Alimento proponens modos alituræ citioris, & per consequens victus citius alentis, dicit: *Qui indigent citissima adiectione, his humidum remedium est optimum*. Quod dictum explicans Gal. in com. Aph. III. secundi lib. inquit, Hipp. per humidum remedium intellexisse potum, non tamen cuiusuis materiæ, sed solius nutritiuæ. Quod est ac si dixisset, cibum liquidum. Cuius etiam sensus mei fuit idem Gal. in Lib. de optima Secta ad Thrasybulum Tex. IV. qui dum recenset varia axiomata medicinalia, quæ vult medicum recipere tanquã

principia, quæque videtur, singula desumpsisse ab Hip. ex Aphor. hoc habet, quod *Cibi liquidi febricitantibus bene faciunt*. Quod dictum cum nullo ex loco Hipp. melius possit desumsisse Gal. quam ab isto, concludo & Gal. aliquando per victum humidum in isto Aph. propositum accepisse humidum solo actu, & non potentia. Nec me terret ab opinione, quod & vinum est cibus liquidus, quia nutrit, pluraque condita aromatibus possunt esse liquida, sicut & aqua marina est liquida, cum tamen nullum istorum febricitantibus conueniat. Nam vinum non conuenit ex accidente, quod nimis nutrit, mouetque materias in febribus a plenitudine; in aliis vero conuenit, in quibus non est plenitudo: deinde non est vere cibus, sed potus; Ita aromatibus condita, ratione aromatum non conueniunt; aromata autem non sunt proprie cibi; & aqua marina vere non est cibus, cibi enim sunt, quæ propice solida sunt per se; licet possint arte molliri, & liquari, aut quæ aliquam mollitiem, & fluorem habent, non tamen tantam quantam potus habet.

APHOR. XVII.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plurane, aut pauciora particulatim oporteat offerre considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini.

OFferre accipitur a Gal. & bene pro ipso alere. siquidem temporibus Erasistrati, qui proximus vixit Hippocrati, usurpabatur in isto sensu, ut notat Gal. in Lib. de venę sectione aduersus Erasistrateos.

Vnde cum eodem Gal. recitatores eius, dicunt Hipp. in isto Aph. consulere pro inuenienda quantitate, & modo alituræ: quod non solum consideretur corporis resolutio,

in

in cuius gratiam est alendum, ac virtus quę alitionem agere debet: sed ætas, regio, tempus anni, & consuetudo, & fiat iuxta id, quod ista quæque, & singula requirunt, satisfaciendo non modo resolutioni, & virtuti, sed ætati, regioni, tempori, & consuetudini. Fieri etenim potest (inquiunt) quod ratione consumtionis, quæ multa sit, etiã multum conueniat alimentum, rationeque virtutis concoctricis, quæ valida existat adhuc multum: in quo casu multum, ut consumtioni, & sepe, ut virtuti respiciatur, erit alendum. Sed fieri etiam potest in contrarium, quod parua sit consumtio, & virtus debilis; unde parum, & raro erit nutriendum. Ita sequi potest, quod multa sit consumtio, debilitataque virtus, tuncque cibus conueniet paucus, & sepe: & demum accidere potest pauca consumtio cum virtute forti, tuncque parum, & raro veniet reficiendum. Et quoniam ætates, tempora, regiones, & consuetudines possunt, & singulatim variam alimenti quantitatem, & modum exigere, ideo non solis primis propositis consumtioni, & virtuti, sed & singulis his in quantitate, & modo alituræ est satisfaciendum. Verum quoniam statim nascitur dubitatio, quomodo possit accidere multa corporis consumtio, remanente virtute forti, & pauca, reddita virtute debili, cum virtus corpori cóequetur, sicut forma materiæ. Vt satisfaciant huic dubitationi Galenistę, fatigantur in inuentione propositorum casuum dicendo, quod resolutio potest esse multa, durãte virtute, quia sit materierum earum, in quibus immediate illa non fundatur, quales sunt humorosæ, & adiposæ, quæ immediate nõ viuunt, & pauca cum virtute debili, quia sit substantiarum viuentium, aut viuentibus proximarum, in quibus immediate fundatur virtus.

At quoniam materiæ virium sunt sibi inuicem adeo adnexæ,

nexæ, & unitæ, ut non possint ita seiunctæ consumi, & quia non mihi sonat litera inquisitionem hanc duplicem quantitatis scilicet & modi alituræ, credo Hip. hic consulere de solo modo, & pro eo determinando præcipere inspiciendas esse ętates, tempora, regiones, & consuetudines. clarum enim est, cuique deberi quantum refectioni sufficit. Modus autem constitit in diuidendo, aut non diuidendo, eo quod cuique ægrotanti habita ratione sui morbi pro conseruatione quaque die debetur. Illud enim potest totum simul, & in una vice exhiberi, & potest partitũ variis diei illius horis secundum partes dispensari, tuncque sequetur, quod id, quod totum unica vice suffecturum per integram diem propinabitur, erit *Plus* respectu cuiuslibet partis, quæ erit eius in varias diei horas partiti; hocque respectu illius, quod totum in unica vice diei dabitur erit *Paucius*. Vnde apud me voluit dicere Hip in ista Aph., medicũ debere considerare, quomodo debeat alere ægrum, an scilicet dando quantum suffecturum sit cõseruationi virium per diem totum in una vice, & semel, an vero partitũ iuxta varias diei horas. nam si semel, erit plus quam si bis; si vero bis, erit paucius quam si semel: & in hac consideratione condonandum aliquid ætati, regioni, tempori, & consuetudini.

Quod autem variandus sit alituræ modus per ætates dicit experientia. Infantes enim hora quaque lactant, pueri ter, & quater in die, adulti bis, & plurimi senum unica comestione sunt contenti: & cum ratione frequentant infantes, ac pueri, omnesque qui crescunt, quia ventriculus non capit quantum esculenti debetur nutritioni, ac auctioni corporum eorum. Quod modo varius debeat esse alituræ modus secundum regiones, experientia affirmare non possum, qui non viderim varias eas. Rationabile tamen est,

est, quod in calidioribus propter maiorem, quæ sequitur in eis ex ambiente calidiore corporum resolutionem, frequentius comedatur. unde dicebat Celsus, quod in Africa homines non possunt, nec per diem unicam stare sine cibo; in frigidioribus vero minore facta ex ambitu resolutione serius, & rarius. Quod etiam per anni tempora contingat ista alituræ varietas, palam est: quia æstate frequẽtius, hieme rarius cibus sumitur, ex diuersitate ambientis caloris in æstate & hieme. Consuetudinum demum quisque potest esse obseruator. Nam aliquis uni, alter binæ alius trinæ, alter adhuc multipliciori consueuit cibi assumptioni. Satisfaciendum autem est in modo aliturae his omnibus, ac singulis. quoniam ætas importat naturam, sic regio, & tempus anni cum sint inseparabilia ab illo, qui ali debet; anni etenim tempora voluuntur ordinatim, perpetuo, & necessario ad cæli motum, & regiones non facile, nec de breui mutantur. Consuetudinesque sunt naturæ acquisitæ, ut monstrabitur in secundo libro.

APHOR. XVIII.

Aestate & autumno cibos difficillime ferunt: hieme facillime: secundum locum ver habet.

Æ*statem* esse tempus anni calidius, *Autumnũ* vero esse quod subsequitur æstum hunc, & precedit frigus, unicuique clarum, sed & propositum in Aph. xv. *Ferre* autem, quod & tollerare dicitur, est pati, sed cum victoria. unde facile ferre est minus pati, ut notatum est in Aph. 11. Passionem autem recipiunt corpora a cibis in eorum assumtione, quatenus illi debent recipi, & a calore eorũ transmutari: unde minus patiuntur corpora, quando viget

in

in eis calor, qui cibos conficit, magis vero quando deficit, præcipue in ventribus, in quibus fit eorum receptio, & cõfectio. Minime autem viget æstate, & autumno, quoniã in ea euocatur a calido ambiente extra corpus, in isto vero iam euocatus est & resolutus.

Conclusio itaque est, quod cum ex ambiente calidiore in æstate maxime resoluatur calor corporis internus, qui est concoquens esculenta, & in autumno iam sit euocatione æstiua resolutus, tunc temporum corpora grauantur ab eis, & difficilem eorum peragunt coctionem; hieme vero, cum non sit resolutus, nec euocatus, imo repressus, minime grauantur, facillimaque est concoctio, autumno tandem, ut qui succedat æstati, & in eo remittatur resolutio ex ambiente temperato, coctio habebit secundum locum facilitatis & difficultatis.

APHOR. XIX.

His qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

SVbtrahere dicebatur antiquitus de prohibita, aut ad sũmum diminuta alitura, & *Adiicere* de ea præstita, ut notatum est in Aph. x. & in lib. de venæ sect. adu. Erasistratum *Iudicatio* autem de subitanea, eaque valida ægrotantis mutatione, ultimoque eius discrimine, quo plerũque finitur morbus, aut vita, aut sequitur valde melior, aut valde peior eius conditio; quæ repentina mutatio contingit in morbis solis ex materia, & quando eam agitat calor naturalis pro expulsione, quam si obtinet totalem de corpore sequitur salus, si nullatenus, sed suffocatur, succedit mors; si vero aliqualem peragit, melior status. Hic au-

autem insultus naturæ cum materia morbifica in aliquibus morbis fit totus, & unicus in una vice, ut in continuis; in aliquibus vero dispartita materia in plures partes, sequitur in variis vicibus, ut in morbis paroxysmalibus, seu circuentibus; unde nomen iudicationis dicitur de insultu, quem facit natura, aut totius materiæ, aut partis alicuius tempore aliquo in corpore ob malam aliquam conformationem, aut intemperiem congregatæ.

Conclusio itaque est, quod in morbis, qui veniunt per interualla ex congregata ob malam corporis conformationem, aut intemperiem vitiosa materia, quando natura fecerit insultum cum illa, nihil est dandum de cibo, sed demendus erit ille ante insultum istum.

Cuius ratio est eadem, quæ proposita in Aph. x. Nec dubitandum, an Hipp. aliam in isto habuerit conclusionem, quoniam verba non aliam referunt.

APHOR. XX.

Quæ iudicantur, et iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando; sed sinere.

IAm cum ex præcedente pateat, quid sit iudicatio, & per consequens, quæ iudicantur: quod est plerumque subito euadere a morbo materiali ad bonum, licet cum discrimine; Obseruandum modo est, quod hoc bonum est duplex: aliquod absolutũ, quod est perfecta sanitas: aliud cum relatione ad melius scilicet. Ita iudicari morborum, aliud dicitur iudicari integre, seu perfecte; aliud vero imperfectæ, & secundum quid. Iudicari perfecte semper est, cum euacuatione, quia ut omnino nihil morbosi persistat in corpore, debet materia morbifica prorsus elimina-

ri, eaque sola, ut propterea sequi debeat cum prius calor naturalis segregauerit illam a bona, eamque reduxerit ad modum substantiæ euacuationi aptum. Imperfectum ergo est, quando, aut cum decubitu de parte nobili in minus nobilem, aut in ignobilem. tunc enim etsi tollatur prima affectio, succedet altera in parte, ad quam factus est decubitus, & imperfectum est, quando cum euacuatione non totali: quia quod relinquitur malum facit, secundum id quod potest; sic imperfectum est, quando non præcedente segregatione: quia cum educitur aliquid boni, corpus patitur. *Mouere* autem est accipiendum in significatione propria de loco ad locum. & cum hoc in corporibus nostris præcipue sit de iis ad extra, unde illa redduntur vacua, hinc bene communiter accipitur pro ipso euacuare. *Nouare* etiam cum sit aliquod mutare, bene poterit importare, aut de corpore ad extra, aut de parte ad partem; uti est repellere, & euocare; & poterit etiam intelligi pro leui mutare, in qualitatibus scilicet pro alterare. *Irritamenta* demũ dicuntur, quæcumque excitant naturam ad aliquam corporis mutationem, siue sola manu, siue medicamento intrinsecus, aut extrinsecus perficiantur.

Erit itaque Aph. conclusio, quod quæ corpora ægrotantia ex ultimo sui discrimine euacuantur, aut auacuata sunt, ita ut nihil reliquatur, vel relictum sit materiæ morbificæ, unde sequatur, aut sequuta sit ultima sanitas, nõ sunt tractanda remediis euacuantibus sensibiliter, aut insensibiliter, nec de loco ad locum per corpus ullatenus mouentibue, nec alterantibus, sed sibi ipsis suæque naturę penitus relinquenda.

Ex qua conclusione, si contrariorum contrarię sunt rationes, accipi potest consultum, quod quando natura suapte non init in morbis materialibus euacuationem, medicus

cus eam procuret, ut morbum finiat; & quando natura non segregarit materiam malam a bona, eamque aptauerit expulsioni, medicus porrigat alterantia, quibus natura adiuta segreget & aptet, seu concoquat; & quando natura aptitudine peracta materiæ, non perfecerit totius eductionem, perficiat reliquum ducendo.

Dubium tamen nascitur. Primo, an natura unquam suapte possit materiam morbificam segregare, & eiicere, quia nõ potuit ipsius prohibere generationẽ. Secundo, an possit unquam desistere ab incepto, utpote cum valuerit aduersus totam, rationabile sit quod magis valeat aduersus id quod eius restat; hoc enim minus valet, & natura plus, ex prima victoria roborata. Tertio, quomodo medicus possit se ingerere in crisi in fieri, cum nesciat, an perfectionem. sit habitura crisis, quæ fit. quia futurorum non est sensata cognitio. Quarto, supposito etiam quod præcognoscat futuram imperfectionem crisis, quæ fit, & certam videat imperfectionem factæ, dubitatur an se debeat ingerere: quia omnis iudicatio sequitur in statu in quo decernitur ab Hipp. in Aph. xxix. Secundi libri melius esse quietem habere. Et quinto quia natura non perfecit euacuationem propter materiæ, aut partium eius cruditatem, aut viarum obstructionem, ad quæ medicus nihil potest, quoniam cõcoctio, seu segregatio materiæ morbificæ, sicut & viarũ, per quas illa debet duci, sunt opera naturæ, & principii corporis interni, neque possunt peragi ab externo qualis est medicus.

A quibus tamen dubitationibus facilis est securitas, & a Prima dicendo: quod corpus nostrum est unũ quidem, sed instrumentale ex variis partibus conflatum: unde fit quod materia morbifica insinuatur ei ex offensa externa unius partis, ad quam cum recurrit virtus totius, potest eam de-

bellare, quod non potuit virtus ſingularis uniuerſali iam diſtractæ. A ſecunda vero liberabitur dubitatione, quod Natura deficit ab eiectione totali materiæ: quia materia eſt aliquando difformis, adeo ut ſecundum unam partem parum alienam a natura, & forma excrementi, potuit facilem preſtare eiectionem; ſecundum vero aliam aliqua qualitate excretioni rebellem non poteſt; aut quia ſuperuenit error externus, qui minuit, aut diſtrahit naturæ robur, aut mutat diſpoſitionem materiæ ad euacuationem. Nec Tertia faciet momentum; ſi obſeruabitur, quod medicus neſcit quidem futurum, ſed coniectat de præſenti, & preterito, ut qui ſi viderit facilem partium materiæ, & cum leuamine eiectionem, debeat ſperare cum ratione, & reliquiarum eſſe futuram. Tantoque minus negotii faciet quarta. Nam medicus non ſe debet ingerere in ſtatu morborum, quando natura nihil operatur cum iuuamento. tunc enim neſcit quo ſe debeat applicare, ſed in caſu quo natura inchoet motum cum iuuamento, illud debet proſequi; tunc enim certo iuuabit, prout præcipue medicus intendit. Ad quintam demum dubitationem dicitur: quod medicus debet ſupplere ei in quo deficit natura. Deficit autem aut in ſola expulſione poſt peractam concoctionem, aut ea nõ peracta. Et dum dicitur, quod cõcoctio, & viarum apertio ſunt opera naturæ, dicatur, quod media quę porrigit medicus facile reddunt naturę opus. Ita nullum medicamentum operatur per ſe ullum opus in gratiam ſanitatis, ſed cũ natura: attamen natura, ex uſu medicamenti poteſt, & facit, quod ſine illo non poterat, nec faciebat. Nam ſcãmoneum nõ educit bilem a mortuo, ſed natura uſa ſcãmoneo educit, quod ſine ſcammoneo educere non poterat.

APH.

APHOR. XXI.

Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit.

DVcere, cuius loco alii interpretes legunt, *Educere*, recipitur communiter, & a Gal pro ipso euacuare corporum, cum in eo educatur è corpore materia. *Naturæ* autem nomine intelligi debet illa, unde materia in viuentibus ducitur: hæc autem non est propria materię. Nam cum omnis materia quæ de corpore ducitur sit humorosa, & per consequens de genere grauium, deberet duci per inferiora, ducitur tamen & per alias dimensiones. Et in nobis nomine Naturæ accipienda est illa, quæ extat corporis viuentis: hæc autem est anima per facultatem expultricem dictam. *Vergere* vero dicitur de potentia motiua ad solum principium sui actus deducta. Hinc de ipso insensibiliter moueri, quale est in insectis animalibus, ut propterea ab aliquibus interpretibus legatur potius *Repere*. Quod demum importet verbum *Conferre* iuuamentum, clarum est ex Aph. 11. sed obseruandum, quod *Conferentia* dicuntur omnia, quæ concurrunt in aliquo actu, in quo sequitur iuuamentum, & cum in ductione materierum de corpore cōcurrāt etiam loca, per quæ ducuntur; ideo quando sequitur ad earum ductum iuuamentum, & loca dicuntur conferentia. Hæc autem a Galenistis designantur tribus conditionibus: quarum Prima est, vt sint propinqua locis, à quibus debet duci materia, & propterea habeāt rectitudinem cum illis: recta enim linea intra eosdem terminos est omnium breuissima, ratione cuius propinquitatis & breuitatis facilior sequetur ductus. Secunda conditio est, ut lo-

ca

ca ſint a natura deſtinata euacuationi, & illi determinatę: non enim indifferenter in ſanis cuncta excrementa ducuntur, ſed ſtercora per aluum, urina per veſicam. Tertia demum eſt, ut viæ non laborent aliqua ægritudine, quæ ex tranſitu materiæ ſit incremẽtum habitura. Hinc cautum eſt, quod euacuatio totius corporis non fiat per partem affectam. Verum quoniam non ſemper medicus poteſt cognoſcere viam, quæ recta ſit, & breuior, quia neq; ſemper ſcit, quo loci materia ducenda contineatur, & quoniam nec ſemper ſcit, quã viam parauerit natura ad illam euacuationem, & quoniam incertum itidem frequenter eſt, an viæ ſint integræ, an læſæ; ideo ab effectu docet Hipp. per quas vias debet producere medicus euacuationes, quas natura totius principiat, ſcilicet quod ſint tales, unde ſequatur ęgro iuuamentum.

Erit ergo concluſio: quod medicus perfecturus ductionẽ materiæ de corpore a natura inchoatam, debet eam proſequi per eadem loca, per quæ inchoauit natura, dummodo inde ſequatur corpori iuuamentum. Ex qua conditione appoſita concluſioni elicitur altera concluſio: quod quando non ſequetur illud, medicus nõ debebit eam proſequi. Materia autem, quam ducere oportet medicum, eſt quæ non ſimplici qualitate prętер naturam exiſtit: iſta enim alterari, & temperari poteſt: ſed quæ ſubſtantia peccat, ut ſunt non modo lapides, & vermes, ſed etiam humores corrupti a natura nutrimenti remoti, & qui a nutritione ſuperfluũt, ſecundum enim partem ſuperfluentem peccant ſubſtantia ad nutritionem directa.

Ratio autem euidens eſt, quia medicus operatur ad auxilium ægrotantis, unde debet accipere naturam tanquam exemplar in operibus ſuis, & ita facere, quod vidit alias naturam feciſſe cum iuuamento in caſu ſimili, aut quod vi-

det

det ſimiliter eam incoaſſe; Quod ſi operata erit natura ſine iuuamento ex vi morbi coacta, non debet proſequi, nec pro exemplo ſumere.

Et quod dicitur de ductu materiæ ad extra corpus, poteſt accipi etiam in ductibus de parte ad partem corporis. Cũ enim materia non poteſt omnino ſegregari a corpore, ſed ſolum à parte, medicus debebit ſegregare ad loca, ad quæ alias ſegregauit natura cum iuuamento, aut ad quæ tunc incepit cum iuuamento ſegregare, uti accidit, dum de centro ad circumferentiam, aut de parte nobili, & viſcere ad ignobilem, & artus. Quod ſi ſegregabitur è contrario, debet cohiberi potius, ut notauit in Aph. 11. Quarti Libri.

APHOR. XXII.

Concocta medicari atque mouere, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant, plurima vero non turgent.

CONcocta & Cruda dicuntur duplicia genera rerum in viuentibus. Sic dicuntur concocta, & cruda alimenta & excrementa, concocti, & crudi fructus. Sed & dicuntur concocta, & cruda corpora viuentia, præſertim animalium, quando celebrata eſt potiſſima alimentorum & excrementorum concoctio. De alimentis quod dicantur cruda, quo uſque non ſunt mutata de natura ſua, licet extiterint in corpore noſtro, palam eſt. De excrementis etiã, quod dicantur cruda, quando non adhuc aptata facili excretioni nullus dubitat: ut propterea dicantur alimenta concocta, quando a calore eius quod ali debet ſunt redacta ad alituram; excrementa vero, quando aptata ad expulſionem. unde bene definiebatur ab Ariſt. coctio, quod ſit perfectio

mixti

mixti a calore eius, in cuius gratiam, & cruditas imperfectio. De corporibus modo viuentibus, quod dicantur cruda, quousque esculenta extiterint in ipsis, non adhuc aptata alituræ, aut excrementa expulsioni, rationabile est. cum concoctio sit operatio potissima eorum, ut & ab ipsa debeant denominari. Et hinc apud Celsum lib. Secundo de re Medica cap. x. corpora dicebantur cruda, quibus non erat peracta esculentorum coctio. *Medicari* autem est operari a medico, hoc est remedium ipsum; licet dicatur magis de illo opere medicinali, quod peragitur medio matèriæ non nutrientis intrinsecus sumtæ, aut extrinsecus applicitæ, siue inde sequatur simplex corporis alteratio, siue cum ea alicuius materiæ eductio. *Turgere* denique dicitur proprie de eo quod nimia repletione ducitur ad periculosam corporis amplitudinem: improprie vero etiam de materia, quæ istam corporis amplitudinem facit: in quo sensu assumsit hoc verbum Hip. in Aph. x. Quarti lib.

Ex his igitur Gal. accipiens verbum medicari, pro ipso uti medicamento purgante, & nominibus concocti ac crudi quatenus significant materias in corpore non nutrituras, sed ad modum excrementi existentes, accipit conclusionē: Quod medicus debet educere medicamēto a corpore materias malas, quando fuerint prius a calore naturali aptatę expulsioni, & redactæ ad naturas, & vias excrementi: nō autem, quando tales non fuerint, & propterea non in morborum initiis; modo non faciant corpori impetum crepaturæ periculosum, quod tamen raro faciunt. Cuius conclusionis facilem habet rationem: quia tunc habens medicus a natura aptatam ductioni materiā, facilius ductionem perficiet. De cuius conclusionis veritate, atque utilitate dubitatur. Quia medicus debet euacuare materiam quādo lædit. Officium etenim eius est, tollere læsionem, lædit

au-

autem quando est cruda, magis quam quando est concocta; nec propterea medicus debet transigere morbi principiũ, cum non debeat ullatenus dimittere corpus iis quæ lędũt. Cui dubitationi respondent Galenistæ, quod hoc fieri nequit, quia eductionis principium est natura, non autem medicamentum; unde debet expectari tempus, quo natura possit: hoc autem est post concoctionem. Secundo dubitatur, quia quando materiæ malæ sunt concoctæ, sunt secundum plurimum a natura superatæ, unde absque medicamento superabuntur etiam secundum reliquum, nempe expulsionem. Sed respondent & huic: quod aliquando deficit natura in ultimo, & fine, quæ non defecit in principio, ob particularia accidentia ipsam deturbantia, qualia sunt impedimenta viarum non forsan purgatarum, aut frigore superueniente restrictarum. Tertio dubitatur ex Hip. qui in Aph. xxix. Secundi libri præcipit, si quid mouendum videtur in morbis, illud esse mouendum, quando inchoãt. Cui similiter respondent hoc intelligi de euacuatione sanguinis; aut si alterius materiæ, hoc esse accipiendum in casu, quo illa faciat tantum in corpore impetum, ut periculum inferat crepaturæ; aut intelligendum esse de euacuatione minoratiua, per lenientia, non de eradicatiua per purgantia.

Verum quoniam resolutiones istæ mihi non plene satisfaciunt, & verbum medicari non debet limitari ad solas catharcticas euacuationes, cũ importet quodlibet medicinale operari; & quoniã verbi mouere nulla acipitur vis in expositione Gal. quod tamen importat motionem de corpore ad extra, aut de parte eius ad partem, ut notatum est in Aph. xx. & quoniam, quod magis est, verbum turgere importat proprie non furiosum materiæ in corpore impetũ, ut vult Gal. sed periculosam corporis amplitudinem, & intu-

mescentiam; dimissa nunc expositione proposita, non tanquam inutili, sed tanquam impropria, Dubito an Hip. per concocta, & cruda intellexerit corpora ipsa, quæ concoxerint, aut non concoxerint assumpta suæ nutritioni destinata. Suadet enim mihi præter literæ proprietatem hunc sensum ratio. Nam corpora ab assumptis, non adhuc coctis, videtur nullo medico opere tractanda: ne vexata cõcoctionis loco inquinatis esculentis, inutilem, & noxiam materiam augeãt. Sic Antiqui, prout refert Celsus loco citato, nec purgabant, nec sanguinem ducebant, nisi peracta assumptorum coctione, exceptis casibus subitæ mortis periculosis, quos Hipp. nunc turgentiæ appellat, ut eo loci videre est.

Erit ergo conclusio: quod medicus non debet purgare, non alio modo valido localiter euacuare corpora ægrotantiũ, ni primo ea peregerint assumptorum coctionem, dummodo non sint adeo plena, ut suffocari, aut crepare possint.

Et ratio est, ne turbata coctione, & facta assumptorum inquinatione, crescat materia morbi. Quod si erit periculum suffocationis, aut crepaturę, paruifacta inquinatione, debebit sanguinem mittere, purgare, & aliter mouere, etiamsi non fuerint concocta esculenta.

Dubitare possunt autem neoterici, eo quia post peractam esculentorum coctionem. quæ ultimum terminum habet ad triduum, non adhuc materiæ omnes malæ quæ veniunt euacuandæ sunt aptatæ expulsioni, & ex expositione mea videtur catharctico ultra diem tertiũ posse duci de corpore omnis materia morbifica. Et quia obstat experientia. nam catharctica a principio morbi operantur difficulter & laboriose. Quibus obiectis satis erit responsũ, si obseruabitur quælibet materia, quæ catharctico ducitur de corpore esse humorosa, & per consequens fluida,

cum

cum fluor sit de definitione humorum ex Auicena in Prima Primi. Quod si a principio euacuatio sequitur aliquando cum difficultate, & labore, id euenit tunc, quoniam materiæ sunt remotæ a loco eductionis, & viæ sunt obstructæ, aut catharcticũ non est propinatum in sufficiente quantitate; unde valet tantum remouere materias a loco suo, non tamen penitus educere. Sed de hoc apertius in Aph xxix. Secundi, & aliis locis dicetur.

APHOR. XXIII.

Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tollerare.

DEiectiones sunt euacuationes per inferna, cum deiicere sit dare motum ad infra, siue eæ sint suapte veniẽtes, siue auxilio procuratæ. *Multitudinis* autem nomen importat proprie quantitatem numericam auctam, sed usualiter dicitur etiam de quantitate continua, præsertim corpulentia. *Aestimare* vero est conferre unum cum altero secundũ aliquam rationem, & inde concludere an sit secundum illam. *Animi* etiam *Defectio* est virium, præsertim motiuarum, & sensituarum perditio. *Tolerare* demum prout pluries notatum est, dicitur de ipso lædi, sed cum victoria.

Conclusiones itaq; in isto Aph. licet ad unum finem directæ sunt tres. Prima est, quod in deiectionibus suapte, seu medicamento factis, non est æstimanda materia ex numero, nec ex magnitudine corpulentiæ, an sufficiat, aut suffectura sit ei rationi, secundũ quã deiicitur, aut deiecta est: quæ ratio est morbi ablatio per eius eductionem. Se-

cunda eſt, quod æſtimatio iſta eſt determinanda ab obſeruatione qualitatis matēriæ, quæ ducitur, & tolerantiæ vitium, quæ ſubſequitur. Qualitas enim quouſque perſeuerauerit mala, qualem raciocinatus eſt, & coniectauit medicus, & vires conſtabunt, debebit euacuatio produci. Tertia concluſio eſt, quod quando eſt tanta, quod eius abſoluta eductio non poteſt perfici, niſi cum manifeſta defectione virium ſenſitiuarum, & motiuarum, eſt eò uſque producenda, dummodo æger ſe poſſit ab illa defectione reficere.

Ratio autem primæ concluſionis eſt, quia neſcit medicus certam materiæ morbificę menſuram: unde nec debet metiri eam, quæ educitur, aut educta eſt, ut ſecurus ſit de eius abſoluta eductione.

Ratio ſecundæ eſt, quia in cognitione eius, quæ ſit materia peccans, confert quidem iudicium, ſed illud non ſufficit cognitioni determinatæ quantitatis. Hoc enim cognoſci debet a poſteriori, hoc eſt à ſubſequuta euacuatione alterius materiæ, & à ſubſequuta virium etiam aliqua defectione. Non enim ad euacuationem malæ materiæ ſuccedit euacuatio bonæ, ni mala ſit finita: nec unquam ſuccedit virium defectio, ni euacuetur bona.

Ratio Tertiæ eſt, quoniam non poteſt fieri euacuatio, quæ eſt opus naturæ, etiamſi fuerit medicamento irritata ſine corporis reſolutione. Nā eo utitur in illa; unde in magnis euacuationibus, etiamſi poſt eas ſubleuetur natura, laborat, & deficit. Magnæ autem iniri debent, quando plurima eſt materia, unde aliquando eſt producenda deiectio ad animi defectionem eam, a qua tamen poteſt eſſe refectio.

Dubitatur autem, an medicus nō poſſit metiri materiam corpori nocuam, cum poſſit dimetiri corpus ipſum. Sed re-

ſolutio

ſolutio eſt, quod corpus eiuſdem dimenſionis poteſt ſcatere materia, partim mala, & partim bona, unde ex corporis ipſius dimenſione mala ſola non poteſt determinari.

Dubitatur ſecundo, an debeat terminari ductio materię malæ uſquequo ſucceſſerit in eductione bona. Non enim bonum eſt educere unquam materiam bonam. Sed reſponſio eſt, quod hoc eſt faciendum uſque ad initium eductionis bonæ. Initium autem minus officit, eo quod poteſt officere aliquid malæ relictum.

Dubitatur tertio, an ſecurum ſit ducere ad defectionem animi, & virium. Nam illa eſt periculoſa, quoniam eſt extrema euacuatio, ut notatum fuit ab Hipp. in Aph. III. Sed reſolutio eſt, quod etſi ſit periculoſa, in magnis caſibus eſt aliquando ineunda, & non intelligitur periculoſa, quæ poteſt tolerari; qualis eſt, quæ ab Hipp. proponitur in hoc Aph.

APHOR. XXIV.

In acutis paſſionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

QVæ ſint *Acutæ paſſiones*, & quod ſint a materia calida ingruente, & inflāmante partes principes, dictum eſt in Aph. IV. Quod modo *Medicinæ purgantes* ſint quædam corpora mixta, ex quorum aſſumptione ſequitur in corpore meatuum apertio, irritamentum, atque inde materiæ expulſio, ab iis locis, ad quæ perueniunt, experimentum declarat. *Præmeditatio* autem eſt diſcurſus eius, quod ſequi debet ex alicuius uſu.

Quatuor itaque extant in hoc Aph. concluſiones. Prima eſt, quod in paucis morbis venientibus a materia calente,

&

& inflammante partem aliquam principem, ſunt uſurpanda medicamenta, a quorum uſu aperiantur venę cum irritamento, & inde ſequatur materiæ eductio. Cuius ratio eſt quia a talibus medicinis incaleſcit ulterius corpus, quod in morbis acutis nimiſquam incaluit.

Secunda concluſio eſt: quod in aliquibus tamen poſſunt uſurpari. Cuius ratio eſt nimia corporis plenitudo, qualis eſt in turgentibus propoſitis in Aph. xxii. Hæc enim plus oficere poteſt permanens, quam eius agitatio, aut corporis calefactio, quæ medicamentum ſequatur.

Tertia concluſio eſt: quod in paucis acutis eſt purgandum a principio. Et ratio eſt, quia ſunt cum inflammatione, ut dictum eſt nuper.

Quarta: quod & quando ſunt uſurpanda purgantia in acutis, & a principio, hoc eſt faciendum cum præmeditatione eius, quod & quantum poſſit officere materia morbifica, & eius quod & quantum poſſit officere caliditas medicamenti purgantis: quod ſi plus, & peius erit quod poterit ſequi a materia morbifica, purgandum; quia de duobus malis minus eſt elligendũ: ſi vero erit plus, & peius quod mali inferat medicamentum, ab illo erit deſiſtendum. Hinc in acutis ſine corporis turgentia ſufficiet forſan inanitio per inediam; in acutioribus vero, & turgente corpore debebit propinari medicamentum purgans.

APH.

APHOR. XXV.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt: si contra difficulter.

LItera huius Aph. non alia est quam quæ fuit in Parte secunda Aph. secundi, & propterea nec aliam recipit expositionem, aut conclusionem. Nec damnandus Hipp. de superfluitate: quoniam hęc scripta sunt ab ipso tanquam collecta, & non ordinata neque connexa.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS.

APHOR. I.

In quo morbo ſomnus laborem facit, lethale; ubi vero iuuat, non lethale.

Omnus, ut fuit tactum in Aph.xiv. Primi libri, eſt affectio propria animalium, in qua illa iacent ſine ſenſu & motu: quia calor ſpirituoſus, qui cum nutrimento iugiter & momento participari & influere ſolebat a corde in omnes partes, unde procedit in eis viuere, & ſine quo moriuntur, intercipitur aliqua ex parte, & in ſuo principio conculcatur à materia vaporoſa nutritiua a frigiditate cerebri craſſata, & illuc ad perfectionem nutritiuam depulſa. Hæc autem, ut docet Ariſt. lib. de Somno cap.4. & 5, eleuatur aut ab alimentis ingeſtis, ex prima eorum coctione, ſicut ſignificat facilitas ſomni à cibo; aut ab humoribus, dum perficiuntur, & ad nutritionem rediguntur, prout accipitur ex eo, quod promptius dormiunt homines craſſi & pleni, quam tenues & euacuati; aut a ſubſtantia ipſarum partiũ viuentiũ, ex actione caloris animę per colliquationẽ reſoluta, quod oſtendunt homines laborioſi, qui facilius dormiunt quã otioſi. Facit autẽ hæc materia ſomnũ in homine, dũ ſua natura leui, ſurſum maxime lata, primo implet cerebrum: quod arguit bene Ariſt. ex eo, quod qui feruntur in ſomnum, non poſſunt ſuſtentare amplius capita ſua; & ex illo, quod ſomnifera pocula caput grauare videntur, & qui maiora capita habent, facilius, & plus dormiunt. Et dum

quod eius superest à repleto cerebro, recepta ab eiusdem propinqui frigiditate incrassatione grauescens, refertur deorsum per venas, & arterias, iuguli pręsertim: unde illę in dormientibus inflantur, repletione maiore earum facta, ac veluti semiobstructione reprimit consueti & tanti caloris à corde ad caput eiusque sensoria influxum, quantus requiritur eorum sensationibus, unde sequitur impotentia visus, auditus, odoratus, & gustus. cumque descenderit omnino, & cordi ipsi circum obstiterit, nõ permittens ab eo in reliquum corporis, & artus, nisi paruũ, leuem, & lentum influxum, prout parũ luminis solis permittitur per nubem, perditur tactus & motus voluntarius, & hinc dormientia exterius frigidiora, interius vero calidiora euadunt, ut notauit primus Hip. lib. VI. de morbis sect. IV. mox Aristot. III. de hist. animal. cap. XIX. inde Gal. in comm. isto, & confirmauit Auic. lib. I. Canon. Fen. II. doctr. II. cap. proprio ex eo signo, quod dormientia egent pluribus indumentis quam vigilantia. Et hinc in somno grauatur respiratio, fit stertor, facilis incubus, epilepsia, & apoplexia. Duratque somnus quousque fuerit resoluta à corde & sensoriis ista circum obsistentia & digesta. Et licet Gal. visus sit voluisse fieri somnum ex solo oppleto cerebro, tamen & hanc cordi circum obsistentiam proposuit, ut videre est apud illũ in lib. II. de Temper. II. & in lib. III. de causis pulsuũ cap. de pulsu dormientium, & cap. de pulsu expergisc. : *Laborvis* autem nomen proprie importat fatigationem magnã, & lassitudinem, quæ sequitur ad illam : improprie tamen dicitur de omni malo, & noxa, licet Gal. in ista ultima significatione illud assumat, ductus forsan ab eo, quod Hip videtur ei opponere in tex. nomen genericum iuuamenti. Ego tamen qui sequor vocum proprietatem accipio illud in prima significatione, eoque libentius quod alibi Hip. illud

lud assumpsit in isto sensu, ut in Aph. XVI. & XLIIX. secundi lib. & eo magis adhuc quod noxæ cunctæ & singulæ quæ in morbis superueniunt à somno etiam pręter eas quæ veniũt ab eo facto in principiis paroxysmorum non sunt lethales: unde Aph. conclusio esset fere falsa. Nec me diuertit oppositum iuuamentum in genere: quoniam & conclusio oppositi iuuamenti est indeterminata, dũ dicitur in ea, *Non lethale*. Quæ vero fuit laboris à somno facti est determinata: unde debet esse à causa particulari & determinata. Oritur autem lassitudo semper à defectu substantiæ viuentis, cum in ipsa consistat omnis virtus, etiam motiua, ratione cuius dum viget, dicuntur corpora robusta, dum vero deficit, dicuntur lassa. Deficit autem substantia viuens, aut quia resoluta ultra id quod potest refici, aut quia non adest materia refectionis. Resoluitur modo ultra id quod potest refici in euacuationibus sensibilibus, aut sanguinis à venis aut alterius humoris ex aluo, vesica, genitalibus ambitu corporis vel insensibilibus, quales fiunt in exercitio, doloribus magnis corporis, & in iis etiam, qui animi sunt, curis & sollicitudinibus. Non adest autem materia refectionis, quia ea bona existit, sed deficit ut in abstinentiis, aut quia mala adest, & refectioni inepta, ut in κακοχυμία. Vocabulum demum *Lethale* potest accipi pro significatiuo futuri lethi, & pro effectiuo. Sed nunc accipitur pro significatiuo, quia adiungitur somno, qui cum sit una operatio nostra, est primitus ac magis considerabilis sub ratione signi, quam sub ratione causæ.

Est itaque conclusio huius Aph. quod cum æger expergefactus sibi videbitur magis lassus quam ante somnum, morietur; ubi vero non se senserit lassatum, nec inde signicabitur certa salus.

Et ratio est, quia lassitudo à somno non potest aliunde

venisse, quam à præsentia nutrimenti mali, peiorisque redditi ab actione ultima caloris, quę solet esse illius perfectiua, qualis est quæ excitatur interius tempore somni.

APHOR. II.

Vbi somnus delirium sedat, bonum.

QVod παραφροσύνην Hip. nunc, & communiter alii Græci vocant, & conuertitur à Leoniceno nomine *Delirii*, est quædam mentis alienatio quę accidit in vigore magnarũ febrium, in ebrietate, ac nimia iracundia, in quibus homines fallũt imaginatione: quę procedit nõ ab inflãmatione, ut sequitur in vocata Phrenitidę; sed à sũmo calore in loco mentis excitato à materia humorosa circa ipsũ ebulliente, aut halituosa quod frequentius accidit. Hic autem locus est circum cor, ut confirmabitur in Aph. VII. Septimi lib. *Boni* autem nomen à medicis, & ab Hipp. dicitur aliquando de eo, unde cognoscitur in corpore aliquid boni esse, fuisse, aut futurum esse; & ita sub ratione signi; aliquando vero de eo quod aliquid boni in corpore facit, faciet, aut fecit, & ita sub ratione causę; aliquando etiam sub utraq; ratione. Accipitur sub ratione signi, quando est aliqua corporis qualitas, aut à corpore excreta materia, & hoc propter dependentiam consequutionis quam habent cum corpore qualitates eius, & quæ exernuntur ab illo; è quibus medicus potest coniectare de statu eiusdẽ. Accipitur sub ratione causæ tantum, quando dicitur de aliquo, quod sit solũmodo alteratiuum & mutatiuum corporis suo contactu externo, quale est quodcumq; ambit, siue aer, siue aqua, siue quid aliud appositum; aut contactu interno, qualis est cibus, & potus, medicamentum, atque venenũ

assum-

assumtum, & accipitur sub utraque ratione, quando dicitur de aliquo, quod proueniat à corpore & sit eiusdem mutatiuum, uti est omnis operatio corporis, qualis est etiam somnus, & delirium. Modo accipitur nomen boni de sedatione delirii præsertim sub ratione signi. Nam operationes animę sunt primo signa status corporis, & postea mutatiuæ eius.

Est ergo conclusio huius Aph. quod in quo casu mentis seu imaginationis alienatio sedabitur à somno, significabitur corpus non male, aut saltem melius se habere.

Et ratio est. Nam inde significatur fuisse alienatio non ex inflammatione circa cor, sed ab halitu, aut humore qui potuit calore interius aucto, prout accidit in somno, digeri. Ex inflammatione enim debuisset potius augeri cum illa.

APHOR. III.

Somnus & vigilia, utraque si modum excesserint, malum.

MOdus est mediocritas constituta intra duos terminos excessus & defectus eorum, quæ rem ipsam constituunt. Hæc autem duplex est in omnibus rebus, atque adeo etiam in nobis: una ratione speciei, altera ratione indiuidualitatis. Ita somnus & quies, quæ declarata sunt in præcedenti, habent mediocritatem specificam, quę scilicet conuenit homini quatenus homo est, & habēt indiuidualē quæ .s. conuenit Petro quatenus ille est. Modo quę ab Hip. proponitur est intelligenda indiuidualis. Quia medicus cū sit operator circa indiuiduū debet cognoscere, primo modum indiuidualem, mox specificum: & sub illa sola ratione qua cognitio specifici facilē reddat cognitionē indiuidualis. Tria autē sunt in somno quæ possunt habere mediocritatem naturæ, & excedere ab illa. Vnum est duratio, aliud in-

intensio alterum continuatas; in duratione est somnus mediocris, qui durabit prout illi indiuiduo solebat, extra mediocritatem, qui longius, aut breuius; in intensione mediocris, qui nec facilius, nec difficilius, consueto excitabitur, sicut extra mediocritatem, qui à leuioribus sẽsibilibus, & qui nec à mediocribus excitabitur; in continuitate qui non habebit plures interruptiones iis quas habere solebat, nec pauciores, erit mediocris: extra mediocritatem vero, qui aut maiore continuitate, aut interruptione procedit. Istud autem naturæ solitum & consuetum accipiendum est sub eadem ætate & anni tempore. Nã in adolescentia sõnus est longior, continuatior, & profundior; in senectute breuior, interruptior, & leuior; in consistentia medius inter hęc. De vigilia hinc accipiatur intelligentia. nam cõtrariorum contrariæ sunt rationes. *Mali* autem nomen, prout dictum est in præcedenti de nomiue boni, accipitur à medicis, & Hipp. aliquando sub ratione solius signi, aliquando sub ratione solius causæ, aliquando sub utraque; cumque somnus sit operatio nostra, potest accipi primo sub ratione signi, mox etiam sub ratione causæ.

Conclusio itaq; Aph. huius erit, quod quando aliquis ex se dormierit longius, aut continuatius, aut profundius, vel è contrario breuius, aut interruptius, aut leuius, quã solebat in illa ætate, & tempore anni, significabitur esse in corpore aliquid mali, & poterit etiam somnus ille aliquid mali in corpore facere.

Ratio autem qua significet aliquid mali in corpore in generali, est quia cum sit ille operatio corporis mutata à statu naturali, nõ potest esse, nisi primo sit mutatum corpus à quo procedit. Ratio etiam qua erit productiuus alicuius mali in genere est, quia somnus habet vim mutatiuam corporis, prout omnis alia animę operatio. Si ergo erit ille prę-

ter

ter naturam, etiam corpus mutabit ad præter naturam. Particularis modo ratio cuiuſcumque mali ſignificati, aut quod induci poſſit à particulari præternaturalitate ſomni, non attinet ad hunc locum.

APHOR. IV.

Non ſatietas, non fames, neque aliud quidquam, quod modum naturæ exceſſerit, bonum.

SAtietas propriè dicitur ſublatio famis ab accepto alimento, ſicut *Fames* definitur eſſe eiuſdem deſiderium, quæ ſicut accidit à defectu ipſius, ita tollitur ab eius præſentia, & inducitur ſatietas; ut propterea Hipp. nunc accipiat hæc nomina præcipue ſub ratione, qua important cauſas proprias ſatietatis, & famis, ſcilicet comeſtionē & inediam. *Aliud* autem *Quidquam*, debet eſſe aliquid, quod poſſit dici non bonum, eodem modo, quo dicitur, non bona ſatietas, & fames propoſita: & propterea ſub ratione, & ſigni, & cauſe. Sic ergo erit, aut ſomnus, & vigilia, aut euacuatio, & retentio, aut motus, & quies corporis, aut motus ſcilicet, & affectiones animi, hæc enim ſola poſſunt eſſe in ſimul ſigna, quia ſunt effectus noſtri corporis, & cauſæ, quia ex eorum varietate varie afficitur.

Cum ergo pateat ex præcedenti Aph. *Naturæ modum* eſſe mediocritatem actionis, aut paſſionis indiuidualis, erit concluſio huius Aph. quod comedere, dormire, euacuare, exerceri, corpore aut mente moueri, ultra, aut infra debitum ex indiuiduali natura, ſignificabit corpus non bene habere, & perducet ipſum itidem ad aliud non bene habere. Vniuerſalis ratio clara eſt ex præcedenti. Particulariter autem nimia comeſtio arguit ventris aut ulteriorum

via-

viarum alimenti, venarum ſcilicet, caliditatem, & efficit eiuſdem, aut earundem obſtructionem; minor vero debita, argumentatur caloris partium dictarũ exſolutionem, aut materiæ inexiſtentiam, & inducit corporis ſiccitatem, & frigiditatem. Nimius, & deficiens à debito ſomnus, inducet, & ſignificabit, quæ propoſita ſunt in præcedente. Nimia euacuatio, caliditatem nimiam internam expellentem, aliquando humiditatem ſignificat. Efficit autem frigidum & ſiccum corpus: ſicut minus euacuare procedit à frigiditate & ſiccitate, & inducit primo humiditatem, indeque calorem. Nimium itidem agitari importat calorẽ, qui facile fertur ad partes mobiles, eaſque ad calefactionem primo, mox & ad ſiccitatem perducit: ſicut contra minus dimoueri ſuccedit à frigiditate, & caloris penuria, talemque etiam penuriam adauget. Excandeſcere importat cordis caliditatem, non leuem; ſicut & gaudere aliqualem; taleſque adauget. Mœrere vero, & triſtari à frigiditate, & ſiccitate cordis procedunt, eaſque multiplicare valent. Sunt & alia leuia mala, præter hæc, utpote, & in mala cõformatione, quæ ſignificant, & inducere valent iſta præter naturæ modum exiſtentia. Sed ea ſunt nimis particularia.

APHOR. V.

Spontaneæ laſſitudines morbos prænunciant.

SPontanea dicuntur, non modo quæ videntur per ſe venire, & nullam habere cauſam externam ſui aduentus, ut dictum eſt in Aph. 11. Primæ Sect. verum etiam quæ contingunt ſine cauſa ea, quę eſt ipſis pręcipua. Et in iſto ſenſu hoc nomen aſſumſit nunc Hip. *Laſſitudo* autem dicitur

ſen-

ſenſata grauitas in artubus, unde eorũ difficilis euadit motus. Hæc autem accidit, aut quia virtus motiua debilitatur, aut quia materia artubus inſinuatur excedens proportionem cum virtute motiua. Debilitatur autem virtus motiua, dum ei diminuitur ſubſtantia viuens, in qua tanquam forma in materia fundatur: & diminuitur ſubſtantia viuens iugiter à calore vitæ, dum animæ operationes quaſvis exercet, ut declaratũ eſt in Aph. XIV. Primæ Sect. Vnde ſi ex aliméto requiſito iugiter nõ reficiatur, procedit, imminutio & inde debilitatur virtus, ut propterea una & frequens cauſa laſſitudinis ex debilitata virtute motiua ſit inedia. Sed ſenſibiliter magis diminuitur a labore. Nã motus accendendo ulteriorẽ calorem, eſt in cauſa ulterioris reſolutionis ſubſtantiarum viuentium. Hinc alia de frequentibus cauſis laſſitudinis eſt labor: in quo genere cauſæ, licet non adeo apparentes, ſunt ſollicitudines, & curæ, unde homines ex aliquo accidente animi anxii & ſolliciti extenuãtur, & laxantur. Adhuc autem magis diminuitur ſubſtantia viuens, dum educitur ſenſibiliter e corpore id quod de breui debebat cedere in ſuam refectionem, prout ſequitur ex eductione ſanguinis, præſertim arterioſi, quia perfectior eſt. In quo genere eſt etiam euacuatio nimia ſeminis, cũ illud ex ſanguine fiat. In hoc etiã genere eſt euacuatio per aluum, & per urinam, ac etiam per ſudorem, dũ materia ſanguinis ad varias formas, ſcilicet aut bilis, aut alterius humoris, aquoſitatis etiam, & ſudoris educitur: ut propterea tertia euidentiſſima, & frequentiſſima cauſa diminutionis ſubſtantiarum viuentium, & inde inductiua laſſitudinis ſit euacuatio, aut ſanguinis, aut alterius humoris, qui habeat aliquid nutritiui. Vnde à quacumque harum cauſarum veniat laſſitudo, cum eſſe videantur externæ, & ſic manifeſtæ, ac propriæ, non dicetur ſponta-

nea. Dicetur ergo ſpontanea, quando venerit ex materia ultra proportionē motiuam extante. Eſt autē ultra proportionē motiuam, quando non eſt conuerſa, nec conuertibilis in ſubſtantiam viuentem. Nā dum conuertitur, ſubiicitur virtuti motiuæ, cui famulatur opere ſuo nutritiua, & non grauat. Non conuerti autē poteſt à nutritiua, quia peccat qualitate mali humoris, uti eſt bilis præſertim, & melancholia; tuncque ſequitur grauitas acris, quæ ſi extenditur ad partes carnoſas, & cutaneas, infert veluti ſenſum ulceris corrodētis, unde accidit laſſitudo, quam medici ulcerosam appellant: ſi vero ſe inſinuauerit ad tendines verſus oſſa, acrimonia ſua propter maiorem materiæ craſſitiem cum videātur illa frangi, inducitur laſsitudo, dicta oſsium frangitiua. Et non conuertitur aliquando à facultate nutritiua materia in ſubſtantiam viuentem, quia ſuperfluit ab eius indigentia: tuncque grauat, & implendo, extendit uti facit nimius ſanguis, dum decurrit ad partem aliquam inflammandam, cui præter grauitatem inducit extenſionē & inde inducitur laſſitudo apoſtemoſa vocata. *Prænuntiare* demum morbos eſt ſignificare eos futuros, quod concipi intellectus faciendo coniecturam de præſenti aliqua mala corporis diſpoſitione, tanquam à cauſa ad peiorem tanquam effectum proceſſura.

Eſt ergo concluſio huius Aph. quod sēſatæ grauitates in artubus, difficilē motū, reddentes, ſi venerint, ſine ulla euacuatione ſenſibili ſanguinis, alteriuſue humoris, ſeminis, urinæ, ſudoris, aut inſenſibili, laboris, doloris, ſollicitudinis, inediæ, ſignificabunt præſentes malas corporis diſpoſitiones, ex præſentia, aut nimii ſanguinis, ſi laſſitudo referet ultra grauitatem etiam corporis extenſionem, aut bilis, ſi laſſitudo referet etiam ſenſum veluti corroſionis in carnibus, aut melancholiæ, ſi præter ſenſum grauitatis

vi-

videbuntur velut frangi ossa, & inde prænuntiabunt venturas ægritudines.

Et ratio uniuersalis prenunciationis morborum est, quia sunt dispositiones malæ. Nimius enim sanguis potest obstruere repente venas magnas, & facere apoplexiam, ut dicetur in Aph. XLII, aut rumpere eas unde exeat etiam qui non debet, & inducere hæmorhagias, aut putrescere, & facere feb. magnas. Ita mali humores biliosi, aut melancholici suis qualitatibus inficere substantias viuentes, & varia mala producere; quæ, si non facit sanguis nimius, aut mali humores immediate, dum faciunt lassitudines, possunt ex aliquo accidente illum adhuc augente, aut istos adhuc peiores reddente successu temporis inferre, quando à regimine bono, aut alio bono acidente, ille non fuerit diminutus, & isti correcti.

APHOR. VI.

Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt: his mens ægrotat.

DOlere est semper sentire, sed est sensibilis nõ bene proportionati cum facultate sensitiua. Propterea est dolor in omnibus sensibus externis, seu particularibus dictis, & internis communibus appellatis. Verum qui in externis visu scilicet, auditu, olfactu, & gustu accidit, iniucunditas potius & displicentia vulgo vocatur, cum tamen vere sit dolor; nam inde excitatur auersatio ad fugam in facultare appetitiua. Qui vero accidit in tactu, cum ille sit primus sensus, per excellentiam seruat nomẽ, & vulgo dolor dicitur; & de hoc intellexit Hipp. in hoc Aph. quia loquitur de eo qui potest accidere alicui parti, scilicet indeter-

minatæ corporis. Hic autem est solius tactus, cum cæteri sensus habeant magis determinata in loco corporis sua sẽsoria. Qui demum sequitur in sensibus internis, tristitia, & sollicitudo potius vulgariter dicitur, sicut sẽtire eorum, de quo intelligit Hipp. illo verbo *Sentiunt*, (nam illud dirigit ad dolorem, qui non est aliquid de iis, quæ sensibus externis sentiri possunt) ut distinguatur à sentire sensuum externorum, à nostratibus, non sentire, sed obseruare, curare, & animaduertere appellatur. *Mentis* autem nomine non intellectiuam facultatem debuit assumpsisse Hip., quia ei atribuit egritudinem, intellectus autem cum non sit organicus, ægrotare non potest: cum ægritudo sit corporis affectio: sed sensitiuam aliquam, quæ possit sentire sensationes aliorum sensuum, scilicet dolores; nam dolores sunt sensationes ut dictum est. Hæc autem debet esse una, quæ sit receptiua omnium sensationum, præsentiũ, & præteritarum, quæque propterea possit moueri à quoque sensibili, ut est quæ Phantasia dicitur, & est in brutis animalibus suprema animæ potentia, & in homine proxima ipsi intellectui, quæ est organica, licet eius organum non pateat, quia intrinsecum sit, quæque propterea dicetur ad deprauationem & ægritudinem eius, ægrotare.

Erit ergo conclusio, quod qui sentiunt obiecta tangibilia in aliqua corporis parte improportionata, ut inde dolere dicantur, & non obseruant seu animaduertunt se dolere, ii ægrotant intrinsecus, & inde fallunt illa animæ facultate, quæ est obseruatiua & sensitiua sensationum exteriorum, quæque phantasia dicitur.

Et ratio est. Nam non dignoscitur dolor nisi ab excitata auersatione: hæc autem non excitatur nisi à phantasia. ergo quando, adest obiectum dolorosum appositum tactiuo sensui ratione cuius debeat fieri dolor, si non excitabitur

au-

auersatio, debet sequi, quoniam non recipiatur in phantasia, quę est motiua facultatis appetitiuæ ad auersationem. Non tecipietur autem, si illa erit à phantasmatibus alias receptis oppressa: quæ oppressio non potest esse, nisi cum deprauatione sui organi; quod est principium sensitiuum.

Hinc apparet male Galen. dixisse dolentes esse, qui habent obiectum dolorosum, & illud proprio sensu non sentiunt. Nam isti stupidi dicuntur, cum stupor dicatur de perdito tactu. Et hinc apparet Hipp. hoc monuisse, ut notaret affectionem partis principis, quæ cum recondita sit difficulter ęgrotare dignoscitur.

APHOR. VII.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet; quæ vero breui, breuiter.

EXtenuari, cum sit tenuius fieri, erit idem, ac pristinam crassitiem perdere. *Refici* vero, cum sit pristinam crassitiem recuperare, erit renutriri. Consistit autem crassities, & omnis nostra corpulentia in duplici genere substantiæ: una est humorosa, nondum viuens; alia vero solida, actu viuens. Humorosa est mollior, imo fluida, & vaporosa, (nam qui dicuntur spiritus, sunt substantiæ humorosæ ad aeream naturam magis, quam adaqueam, inclinantes) quæ propterea est facilioris resolutionis, cum humiditas, quæ in ea dominatur, sit facile terminabilis termino alieno. Solida vero, cum nõ fluida, nec vaporosa sit, est etiam difficilius resolubilis. nam siccitas quæ abundat in illa, est difficulter terminabilis termino alieno, bene quidem termino proprio. Diuersaque est crassities

sub-

ſubſtantiæ noſtræ, non modo ratione partium inuicem, ſed & ratione totius, penes regiones, ætates, ſexus, & quod magis eſt penes indiuidualitates: unde orientales, & ſeptentrionales homines, ſunt molliores occidentalibus, & meridionalibus, iuuenes & qui creſcunt ſenibus decreſcẽtibus, mulieres maribus, & alter altero. Cum itaque moliora ſint facilius reſolubilia, ea per conſequens breui tempore erunt extenuabilia. nam extenuatio, licet ſequi poſſit euacuationem ſenſibilem, facilius tamen & frequentius ſequitur inſenſibilem; ſolidiora erunt ſerius extenuabilia.

Concluſio itaque huius Aph. eſt, quod quæ corpora cõualeſcentia breui tempore perdiderunt priſtinam ſuam craſſitiem, breui tempore illa ipſis eſt reddenda per alituram. Quæ vero longo tempore conſtiterunt aduerſus cauſas craſſitiem auferentes, longo etiam tempore egebunt ad ſui refectionem lenta & ſerotina eis ſuppeditata alitura. Quę cõcluſio licet à Gal. accipiatur diſtincte de variis corporis partibus humoroſis, ſcilicet & ſolidis: & verà ſit etiã in illis; facilius enim reſoluuntur, & educuntur humores à corpore noſtro, quam partes ſolidæ viuentes: attamen ab Hipp. profertur de totis corporibus, ſecundum partes eorum humoroſas ſimul, & ſolidas. nam non modo partes humoroſæ unius indiuidui, uniuſque ætatis, & unius regionis, ad humoroſas alterius hominis, etiam ætatis, aut alterius regionis in hac facili, & difficiliori extenuatione diuerſimode ſe habent. Verum etiam ſolidæ, unde quædam corpora tota citius, quædam vero ſerius reſoluuntur, & extenuantur.

Ratio autem eſt, quia cita reſolutio ſequuta eſt ex mollitie ſubſtantiæ, quæ ſicut eſt facilius reſolubilis, propter humiditatem, quę eſt facile ſuſceptiua cuiuſuis naturę, eſt fa-

facilius regenerabilis. Ita soliditas cum sit difficilius inducibilis, propter siccitatem, quæ resistit nouæ naturæ, est etiam difficilius ressolubilis.

APHOR. VIII.

Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur: quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet quod indiget euacuatione.

A *Morbo* idem est, ac dicere, post morbum, ut propterea erit accipiendus qui euasit, & conualescens dicitur. *Cibum* autem *Assumere*, licet explicetur à Galen. per comedere cum appetitu usque ad sacietatem ad modũ sanorum. Ego libentius accipio ipsum comedere solida, ad differentiam ipsius comedere nihil, aut potulenta, aut sorbilia, quod usurpabatur antiquitus in morbis acutis, prout in prima Sectione uisũ est. Solida etenim alimenta, cibum; liquida vero potum appellabat etiam Hipp. ut patebit clarius in Aph. XI. sequente. *Corroborari* autem, cum sit acquirere pristinum robur virium, viresque consistant in substantia corporis nutrita; quæ dum perdita est, recuperatur ex alimentis, mediante nutritione; erit ipsum resici, ac renutriri.

Erit itaq; conclusio huius Aph, quod qui conualescens adiuerit usum alimentorum solidorum, quæ sanis usualia sunt, & inde non recuperauerit pristinam corporis crassitiem, & cum ea pristinas vires, hoc significabit eum uti pluri alimento, quam conficere possit: qui vero steterit sine alimento solido, ac perseuerauerit in sorbili, aut potulento

tulento, neque propterea, etsi liberatus à morbo se refecerit, signum est, quod habet adhuc materiam malam intra corpus, unde eget euacuatione.

Et ratio primi dicti est: quoniam cum non fiat sufficiens refectio in corpore sano, illud sequi debet, aut ex defectu alimenti, aut ex non sequuta eius coctione. At in casu assumentis cibum non deficit alimentum: unde debet esse ex non sequuta eius coctione: hæc autem non sequitur, aut quia virtus concoctiua deficit, aut quoniam alimentum nõ potest ab illa confici, quia malum, aut nimium. Sed in cõualescente virtus non deficit, quinimo crescere debet, nec alimentum est malum, quia est de genere cibi, hoc est, eius quod solet confici; unde restat, quod sit ex illo nimio. Ratio secundi dicti est. Nã in casu nõ assumentis, nõ potest esse defectus refectionis à cibi vitio: erit ergo à virtute. Hæc autem deficit, quando partes primæ, ei seruientes, non egent, & sunt repletæ materia nimia, aut mala: in quibus casibus conuenit euacuatio.

Dubium tamen accidit, quomodo potest aliquis esse liberatus à morbo, & egere euacuatione. Cui dubitationi Responsio est, quod eget, ne recadat ex causa antecedente relicta, ut dicetur in Aph. x. & in XII.

APHOR. IX.

Corpora cum quispiam purgare voluerit, opportet fluida facere.

QVod *Purgare* sit ducere de corpore materiam inutilem, & alieni generis, à qua corpora reddebantur impura, & præsertim humorosam, dictum est in Aph. II. Primæ Sect. *Fluidi* modo nomen dicitur proprie

de

de materia, quæ adeo humida sit humiditate aquea, ut nõ possit consistere loco. In quo sensu aqua, vinũ, & quodãmodo lac sunt materię fluidæ, & humores omnes nostri corporis, ut propterea fuerint definiti ab Auicẽna in Prima Primi quod sint corpora humida, fluida. Et dicitur (licet improprie) fluidi nomẽ etiã de corporibus unde effluit materia aliqua de propositis, ita dolium vino plenum dicitur fluidum, dum ex eo perforato vinum fluit, & corpus nostrum fluidum, dum ab illo humor exit, aut exire potest.

Conclusio itaque antiquitus ex hoc Aph. deducebatur, quod cum quispiam vellet de corporibus educere materias alienas, debebat corpora aperire secundum eas vias, per quas erat educturus illas, & materiæ motum inchoare: quod faciebant antiqui, qui volentes purgare per aluum, præmissa inedia cogebant naturam inanire vias stercorum nulla ad ipsa suppeditata de nouo materia, mox clistere securata intestinorum inanitione, tandem alimentis iurulẽtis, ac dulcibus aluum lubricabant: tunc enim inclinatione ad aluum facta, facilior sequebatur à pharmaco deiectio. Gal. autem in isto cõmentario, hoc fluida facere nõ intelligit de sola apertione viarum & inclinatione naturę, sed & de prępara tione humorum, qui aliquando sunt adeo crassi, aut lenti, aut viscidi, quod fluere nõ possint, ut propterea, & ipsi debent reddi fluidi attenuantibus, aut incidentibus, aut detergentibus; & aliquando sunt adeo tenues, ut effument potius quam fluitent, ut propterea debeant tunc incrassari, ut ad fluorem redigantur.

Quæ etsi vera sint, ac utilia in arte, ego tamen censeo Hipp. intellexisse de corporibus ipsis aperiendis, quibus e locis debet exire materia. Nam adiungit illud verbum fluidi ipsis corporibus, prout declarat in Aph. LXXIV. Lib. Septimi, dum huic eidem ibi repetitæ conclusioni adiun-

 git

git: *Etsi supra, sistere aluum; si vero infra, humectare:* quæ verba dirriguntur ad corpora ipsa, non ad humores. Hocque magis accipio. nam raro humores sunt adeo crassi, viscidi & lenti, ut medicamento aperiente suo calore venas, & inde ex consequenti eos attenuante eiici non possint.

APHOR. X.

Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

IAm patet ex pręcedente *Non pura corpora* esse quæ habent intra se aliquid alienũ, & præsertim dici talia, quę continẽt humores ineptos nutritioni aut alteri operationi naturę. Hi autẽ coaceruantur in corporibus, aut quia ab externis accidentibus distemperantur ipsa, quæ postea distẽperata corrumpunt humores bonos in malos. Sic accidens tempore, aut tempestate in ambiente calor accenso corpore urit sanguinẽ, & de illo facit bilem, prout ira, aut factum nimium exercitium. E contrario vero adueniens frigus, tranquillitas, & otiositas refrigerato corpore recrudat sanguinem, & illũ vertit in pituitam. Et coaceruantur mali humores, quia esculenta resistunt facultati nutritiuæ, unde nequeunt omnino perduci ad bonum succũ, & sanguinem, sed aliqua ex parte vertuntur in vitiosos humores, ut sunt olera, fructus, pisces, quædam etiam carnes, præcipue salitæ, aromata, & miscellanea. Hique praui humores, afficiendo postea partes viuentes, suis qualitatibus inficiunt, & distemperant saltem corpora, licet & obstructiones malaque alia conformationis aliquando etiã producant, unde semper corpora impura, propter humores pręsertim, sunt saltem intemperata.

Nu-

Nutrire autem proprie dicitur de opere facultatis primę viuentis corporis. Anima enim eſt proprie illa quæ nutrit, dum aſſumta tranſmutat in corpus ſibi ſubiectum; improprie tamen: ſed uſualiter dicitur nutrire etiam qui porrigit corpori nutriendo materiam nutritionis, eſculenta ſcilicet, & in hoc ſenſu acipitur nunc ab Hipp.

Concluſio eius itaque eſt, ad medicũ aut aſſidentes directa, quod corporibus habentibus in ſe humores malos, quo plus cibi dederit, plus lędet.

Ratio autem eſt, quia talia corpora ſunt ſaltem intemperata, unde agendo in cibos, non ad bonos, ſed ad intemperatos maloſque humores multum eorum deducent: & ita ſi mali humores primi lędebant, adaucti & multiplicati magis lędent. Erit ſalubre conſultum, quod antiquitus uſurpabatur, in etiam male diſpoſitis, aut ægrotantibus ex impuritate, minus dare de cibo.

Dignoſcentur autem corpora non pura, quia mutata in qualitatibus coloris, craſſitiei, in excrementis, ut monet Hip. in Aph. xv, prę ſertim autem in operationibus, appetitus, concoctionis, ſomni, & roboris: pleraque enim, aut laxitudines ſpontaneas incurrunt, aut non poſſunt corroborari. & ad ſummum aliter ſe habent, quam habere conſueuerunt.

APHOR. XI.

Facilius est impleri potu, quam cibo.

IMpleri est perdere vacuitates. Hinc impleri cibo, aut potu, est perdere vacuitates, quæ contingunt in animalibus. Hæ autem contingunt ex resolutione iugi substantiæ eorum pluries proposita, quę sequitur ex actione caloris viuentium in operationibus vitæ. Quæ vacuitates non modo contingunt sensibiles, & magnæ, vt quæ in ventre sequuntur, sed paruæ & insensibiles, per substantiam totam partium viuentis: ut propterea, cum impleri sit via ad nutritionem, accipiatur nunc cum Gal. pro ipso nutriri. *Cibus* autem est sine dubio alimentum, sed dicitur, quod solidum est; *Potus* autem licet aliquis videatur non nutrire, ut ex simplici aqua, attamen nunc accipitur ab Hipp. pro nutritiuo, sed liquido.

Est ergo conclusio quod nutritio sequitur facilius ex alimento liquido, quam ex solido.

Et ratio est, quia ut illa fiat, debet alimentum perduci ad partem nutriendam. Facilius autem perducitur liquidũ, quam solidum, quia illud habet substantiam tenuiorem, istud crassiorem: & ut fiat nutritio, debet alimentum transmutari à calore viuentis de substantia sua; magis autẽ trãsmutabilis est substantia liquida propter humiditatem abũdantem, quoniam humidum est facile passiuum, quam solida propter minorem humiditatem.

Obseruandum tamen, quod sicut liquida propter faciliorem passionem, facilius conuertuntur in nostram substãtiam, & inde citius nutriunt. ita quoniam nostra substantia viuens solida est, cum parum habeant solidi, minus nutriunt,

triunt, & facilius nutritionem illatam perdunt. Cito enim, & facile etiam resoluuntur in halitum. Solida è conuerso, sicut sero, & cum difficultate, maiore scilicet requisita caloris actione pro sua transmutatione, nutriunt: ita serius resoluuntur, & magis durant; & quoniam nostra substantia solida est, secundum plures partes conuersa in ipsam, magis nutriunt.

Ex quo accipitur consultum, quod in morbis acutis, qui sunt breui tempore duraturi, conueniunt alimenta potius liquida, in longis vero potius solida.

APHOR. XII.

Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.

SI *Iudicatio* est quædam morbi terminatio, prout dictum est; illa quæ dicuntur ab Hip. nunc, *Relinqui in morbis* post eam debent certo esse quædam mala & morbosa. Non tamen morbi ipsi, quia restitisse dicuntur post eorum terminationem: nec symptomata, nam ea vadunt cum morbo, unde non possunt persistere illo finito: nec causæ immediate coniunctæ, quia illæ se habent inseparabiles à morbo, ut ille non possit esse finitus, si & ipsæ finem non habuerint: nec causæ primitiuæ, quia illæ initiant actualem morbum, & præcedunt, ut non possint remanere post illum. Vnde à sufficienti malorum enumeratione, debent esse causæ antecedentes, malę scilicet dispositiones, sed leues, neque cuiucumque sensibiles, & propterea non inferentes actualem & sensibilem lęsionem aliquam operationũ, quales erunt leues intemperies sine materia, aut cum illa, uti impuritates corporum propositæ, leues obstructiones, aliæue malæ confirmationes, aut continui itidem leues so-

ſolutiones. *Recidiua* autem eſt reditus morbi, aut morbus, productus partim ab errore externo cauſaque primitiua noua, & partim à cauſa aliqua antecedente prioris. Hinc differt ab acceſſione ſeu paroxyſmo, quod hæc ſine ulla noua & primitiua cauſa ſequitur. Recidiua vero ſemper habet cauſam primitiuam, quæ aliquando eſt manifeſta, ſicut error ægrotantis in cibo, aut potu, aut alio ſibi voluntario actu, aliquando eſt occulta, ut paſſio animi non obſeruata, & quandoque eſt maxime occulta, ut mutatus aer ambiens tempore, aut tempeſtate, quam medicus videre nequit. Ex qua combinatione cauſæ veteris antecedentis, & nouę primitiuæ, ſecundum quod præualet illa, aut iſta, ſequitur varietas recidiuæ; ſi enim plus valet quæ remanſit cauſa, recidiuat morbus eiuſdem ſpeciei; & ſi parum cauſæ iſtius eſt conſumptum, & multum etiam noui ſuperadditur, recidiuat idem, & ad peius; ſi vero mediocre quid veteris remanſit leui aut mediocri accedente nouo recidiuat idem, & ad eandem magnitudinem; quod ſi plus valet noua cauſa, multumque manſit de vetere, morbus in recidiua mutat ſpeciem & ad peius; ſi vero debilis manſit antiqua, recidiuat alius quidem, ſed ad melius.

Eſt itaque concluſio Aph. quod quæ leues corporis intemperies cum materia, aut ſine, quæque leues malæ conformationes, quælibetque leues unionis ſolutiones, relictæ in corporibus poſt morbi euidentē terminationē, ſolent reducere morbos, aut generis eiuſdem, aut alterius, aut peiores, aut meliores, aut æquę malitiei.

Et ratio eſt citata, quoniā iſta leuia mala relicta, ſuſcepto adiumēto ab errore externo euitabili, ut qui cadit à volūtate ægri & aſſidentiū, aut ineuitabilī, uti qui uenit ab aere, & eius cōſtitutione, debēt ulterius poſſe, & ita ad ſenſibilem operationum læſionem corpus perducere. Hinc accipia-

piatur ſalubre documentum in arte, quod in conualeſcẽtibus, qui non reducuntur facile ad ultimam operationũ perfectionem, tales enim ſunt in quibus relictum eſt aliquid mali poſt finem morbi, corrigatur intemperies, aut euacuetur materia, aut uniatur ſolutio, iuxta quod apparebit hoc, vel illud genus mali in corpore relictum.

APHOR. XIII.

Quibuſcumque criſis, ideſt iudicatio fit, his nox grauis ante acceſſionem. Quæ vero ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit.

NIhil eſt in litera, quod non pateat ex ſupradictis. Eſt enim κρίσις, ſeu *Iudicatio*, repentina morbi materialis terminatio: & *Acceſſio* eſt tempus peius ægritudinum periodicarum, ſeu circuentium. *Graue* etiã dicitur apud medicos, quod difficulter tolleratur, quia moleſtat, & officit, ſicut *Leuius* frequenter, prout nunc accipitur, pro minus moleſto.

Vnde concluſio eſt, quod quibuſcnnque eſt ceſſurus derepente morbus materialis, nox quæ pręcedit illius terminationis inſultum, eſt moleſta: quæ vero ſuccedit à terminatione, plerumque eſt alleuiata. Moleſtia autem iſta noctis, maxime communis & prima eſt vigilia, & inquietudo, aliquando vero perturbatio ventriculi, nauſea, & cardialgia, dolor capitis, alienatio mentis, ſpaſmus quandoque, aliaque ſecundum morbi qui iudicatur ſitum, & conditionem.

Et ratio eſt: quia nõ poteſt materia morbifica abſcedere de partibus nobilibus internis ad aliquam ignobilem externam repente, ut accidit in iudicatione imperfecta, & tanto minus à toto corpore, cum euacuatione, prout con-

tingit

tingit in crisi perfecta, ni primo sit secreta à bono humore; nec potest secerni, nisi à calore mota, & agitata, ex qua agitatione sequitur corporis inquietudo, insomnietas, & si mouebitur circa ventriculum pro vomitu, dolor oris eius, & nausea; si ad intestina, perturbatio ventris; si ad principium sensitiuum, alienatio: si in neruosum genus, spasmus; & si alio, alia accidentia. Hinc tempus præcedens debet esse molestum, subsequens vero alleuiatum, quia materia morbifica aut secreta est à toto, ut nulibi officiat, aut saltem à partibus principipus adeo, ut officiat solum alicui ignobili, & raro lęsione considerabili, aliquando tamen non leui dũ excitat dolorem magnum in parotidibus, aut tormina, & excoriationes in intestinis, si illac processit. Et propter hanc aliquando subsequentẽ molestiam dixit Hip. sequentem noctem esse alleuiatam plerumq;, & male Gal. hoc refert ad crises malas, nam ille finiuntur ad mortem, unde nulla subsequitur illis nox quę possit esse alleuiata. Et male adhuc Gal. dicit Hipp. fecisse mentionem solius noctis & non diei, quoniam molestia præcedens crisin sit obseruabilis in sola nocte, tanquam in tempore magis trãquillo. Ego enim censeo notatam grauitatem solius noctis, quia prępara tio proposita ad crisin sequatur plerumque in nocte, nam fit à calore concoquente, qui magis viget noctu, quam interdiu, cum noctu à refrigerato ambiente calor concludatur ad intra, ut declaratum est in Aphor. xv. Primæ Sect.

APHOR. XIV.

In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala fiat mutatio.

APH.

PRofluuia alui sunt execretiones ex illa, sed fluidæ, & propterea humorosæ, vel saltem succosę, diarrhœæ à Græcis dictæ. Hinc sit excepta dysenteria, in qua proprie quæ veniunt ex aluo non profluunt. Materiæ autem istæ, seu excrementa ista, quæ profluunt possunt, in profluuiis mutari secundum fluorem ipsum de maiore ad minorem, dum aluus incipiet contrahi; & possunt mutari de specie ad speciem, exempli gratia de bile ad pituitam. *Mala* autem dicuntur excrementa, quando sunt substantiæ, quæ non debet excerni, sed retineri tanquam utilis alicui operi naturæ, uti est chylus, futurum commune alimentum, uti sanguinis, & uti substantia partium, quæ aliquando abrasa, quandoque colliquata, ex aluo secernitur. Malaque etiam dicuntur, quando sine manifesta ratione sui tamen fuerint obseruata semper exeuntia habuisse finem malum, quoniam important aliquam pessimam corporis dispositionem sui causam, ut obseruat Hip. de atra bile.

Est ergo conclusio, quod iuuabit si fluens aluus contrahatur humoresque qui inde exibant incrassentur, aut mutentur ad alterum, dummodo non mutentur ad sanguinem, chylũ, melancholiam, colliquamentum, aut substantię viuentis particulas.

Ratio autem est. Nam mutatum excrementum significat iam perfectam esse eius, qui primo fluebat, execretionẽ, & ita, cum sequatur excretio alterius, quem eiici bonum sit, significatur facta, & fieri exquisitior ab excrementis purificatio: quæ melior est integra, quam imperfecta.

Nec bene dubitant de veritate huius conclusionis, qui inducunt Hipp. damnantem excrementa variegata. Nam illa sunt varia cõmixta, & in una deiectione excreta, nunc est sermo de variis successione, nõ eodem tempore talibus. Illa enim sunt mala, quoniam important maximam inqui-

nationem, ſicut paulo minus mala ſunt, quæ durant ſincera, quia important magnam unius materiæ abundantiam, aut magnam intemperiem, quæ non ceſſet ab eius materiæ generatione.

APHOR. XV.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet. Nam ſi bilioſæ fuerint, corpus una ægrotat; ſi uero ſimiles ſanis, tutum eſt corpus nutrire.

SVnt *Fauces* partes deſtinatæ articulationi vocis, unde forſan dicuntur à fando, ſeruiunt tamen etiam deglutitioni, & circumſcribuntur ore, palato, dentibus, gingiuis, epiglotto ſtomachi principio. Iſtę autem ægrotare poſſunt quolibet morbi genere ab interno, & externo; per ſe ſolę, & cum reliquo corpore. Sed nunc conſiderantur ægrotare iis ægritudinibus tantum, quæ poſſunt eſſe per ſe, & non neceſſario ſimul cum ægrotante corpore. Nam Hip. quærit, an ægrotantibus iis ægrotet totum corpus, necne; propterea non bene audiunt, qui hoc loco inducunt etiam anginas. quoniam anginæ morbi acutiſſimi cum febre maxima nunquam poſſunt inueniri, corpore reliquo ſano Aegritudines ergo faucium ſunt accipiendæ, quæ plerumque iis contingunt, modoque ſine corporis reliqui ulla ægritudine, modo cum illa, ut ſunt aſperitates, tubercula, ulcuſcula, quæ aphthę à Græcis dicuntur. *Tubercula* modo ſeu puſtulæ ſunt exiguæ eminentiæ per ambitum corporis irrumpentes ad modum ſcabiei, aut furunculorum, ex aliquo humore male illic recepto, aut corrupto. *Excretionis* nomen autem, licet commune omnibus euacuationibus, eſt tamen accipiendum præſertim de iis, quæ princi-

cipaliores ſunt, & quæ facilius poſſunt obſeruari, cum dicat Hip. eas eſſe inſpiciendas. Sunt autem iſtæ urinæ quidē, ſed magis alui egeſtiones. *Bilioſi* vero nomen importat proprie aliquid, quod ſit bile hoc eſt humore excrementoſo liquido & flauo infectum: improprie autem & nunc omnes liquidas flauaſque egeſtiones. nam iis tanquam oppoſitas proponit Hipp. in tex. eas quæ ſunt ſimiles ſanis. Sanę autem egeſtiones, ut docet in Secundo Lib. Prognoſt. tex. XIII. ſunt molles & figuratę; ut propterea iſtæ bilioſæ propoſitæ erunt quæcumque venient liquidæ & fluidæ.

Hinc colligitur Hippo. proponere inſpiciendas eſſe præſertim egeſtiones in caſu duplici: unde & duplicem colligit concluſionem. Caſus primus eſt faucium exaſperatarum, aut ſuperficialiter apoſtematarum, aut ulceratarum. Caſus ſecundus eſt exiguorum tumorum aut aſperitatum in ambitu corporis apparentium. Concluſio eſt, quod ſi in alterutro egeſtiones erunt molles & figuratę quales ſanorum ſunt, corpus reliquum non ægrotabit, & per conſequens tutum erit ei porrigere alimenta; ſi vero fuerint flauæ & fluidę, quales ſunt bilioſę, corpus & reliquum ægrotabit, atque inde non erit tutum dare alimenta.

Ratio qua proponat Hipp. inſpiciendas egeſtiones in propoſitis leuibus ægritudinibus faucium, aut cutis, eſt, ut inde pateat, an ægritudo illa ſit per ſe, & principalis, an vero per conſenſum, & dependentiam à malo ſtatu reliqui corporis. Nam ſi per ſe & ſine malo profundiore, tutum eſt corpus nutrire: ſi vero ex affectione mala profundi, non erit tuta nutritio, ex monito in Aph. x. Ex quo apparet, quāti uſus fuerit abſtinentia apud Hipp. qui nunc ſupponit eam adhibendam in caſibus omnibus quibus corpora intima ægrotant à materia.

APHOR. XVI.

Vbi fames, laborandum non est.

NOmen *Famis* ab Hipp. etiam hic sicut dictum est in Aph IV. assumitur quatenus importat suam causam; est autem illa resolutio substantiæ, cum indigentia, & penuria alimenti, ex quo fiat refectio.

Præcipit ergo in Aph. isto, quod quotiescunque deficiet materia nutritioni, aut sponte, aut vi, non est laborandum. Et ratio est, quia labor resoluit magis substantiam, inducitque maiorem indigentiam.

Et licet Aph. iste sit directus ad sanos, qui plerũq; possunt famescere ex indigentia, ut annonę caritate populari, quos propterea consulit bene Hip. nõ laborare, ut nõ soluti à labore diutius possint aduersus penuriam constare. Tamen cum contrariorum contrariæ eliciantur rationes, potest educi utilius præceptum ad ægros: vbi scilicet non est fames per nimiam alimenti præsentiam, laborandum esse.

APHOR. XVII.

Vbi cibus propter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio.

INgestus dicitur *Cibus plus præter naturam*, quando est ultra necessitatem nutritiuam, & possibilitatem concoctiuam: unde aut non potest concoqui ad bonum succum in uentre; aut ad bonum humorem in venis; aut concoctũ ad utrumque bene, superfluit à partibus nutritis. His enim modis sua quantitate excedit opera, ad quæ à natura nostra

ſtra eſt deſtinatus. *Facere* autem dicitur *Morbum*, dum eſt cauſa aliquando coniuncta, ſed frequentius antecedens, ſeu diſponens ad morbos. Nimius enim nihil adhuc coctus: niſi nimiam ventris extenſionem facere immediate poteſt, quæ etſi morbus ſit in genere malæ conformationis receptaculorum, eſt tamen leuis, & parum durat, dum ventrem ſolum diſtendit, atque exit breui tempore ab illo. Coruptus autem aliquando effumat ad cor, & facit febrem ephemeram à nauſeatiua ſatietate dictam, frequentius diſtendit cum dolore inteſtina, & facit diarrhœam; coctus autem, ſi non exugitur intra venas, facit ſimilem diarrhœam: & ſi exugitur, nimis implendo illas, & hepar, facit inflationem, qualis dicta eſt ventriculi, tuncque aut recoquitur ad bonum ſanguinem, aut non; ſi non, grauat & obſtruit capita venarum ſua craſſitie, unde naſcuntur putredines humorum, & febres, & extinctio caloris, inde mali habitus, & hydropes. Si vero perducitur ad bonum ſanguinem, ille nimius extendens venas, facit aliquãdo eas crepare, aut irrumpit in aliquod viſcus, & facit apoſtema internum; aut in ambitum corporis, & infert apoſtemata cutanea, magna, aut parua; & ſi non erumpit, obſtruit quantitate ſua, & inde extinguit calorem, unde mali habitus adhuc, & hydropes. Quod ſi hæc non pręſtat, ſed hauritur à partibus nutriendis, tunc ſuperfluens à nutritione adhuc eadem propoſita præſtat. *Oſtendit* autem veritatem *Sanatio*, quæ cum fiat adiectione, aut ablatione (nam omnis medicina eſt, aut adiectio, aut ablatio) debent eſſe morbi, in quibus conueniat ablatio: non conuenit autem, niſi ubi ſit repletio; & hæc eſſe non poteſt niſi à cibo pluri: nihil.n. aliud replet quã cibus. Fit autẽ oblatio vomitu, qui conuenit in caſu, quo offendat cibus in primo receptaculo: deiectione etiã quãdo ſuppe-

tit

tit materia intra inteſtina, & primas venas; phlebotomia, in caſu abundantiæ intra venas magnas: ſcarificatione, in caſu abundantiæ intra venas ultimas: ſic & ſudore, ac frictione; execitio demum, & inedia, in caſu cuiuſuis abundantiæ à nimio cibo.

Sic Hipp. aduerſus vulgum, qui cum videat alimenta reducere vires, credit ad eas multiplicandas plurificãda eſſe illa, admonet, quod nimius cibus officit. Et hoc probat, nã remedium aliquod eſt euacuatio ſenſibilis per aluum, aut venas apertas; inſenſibilis, per exercitium aut inediam.

Ratio autem à priori eſt: quoniam virtus nutritiua eſt finita ſpecie. unde homines non poſſunt conuertere eſculenta, quanta conficiunt maiora animalia. Eſt etiam finita indiuiduo. unde unuſquiſq; poteſt conuertere ſibi propriã alimenti quantitatem, ut quod ultra hanc erit ingeſtum, nõ nutriat, & inde extet tanquam onus graue, & morboſum. Dignoſcuntur autem ingeſta eſſe plura præter naturam, primo ex inducta grauitate ventris, mox ex difficili virium refectione. Poſſunt autem ingeri plura, quoniam facultas appetitiua ſit adaucta, ex varietate eſculentorum, aut aſſuetudine, etiamſi reliquum corpus ſit, & videatur integrum, & in aliis operationibus bene habere.

APHOR. XVIII.

Eorum quæ uniuerſum, & velociter nutriunt, velõces quoque fiunt excretiones.

TOta intelligentia huius Aph. conſiſtit in vocabulo illo *Vniuerſum*, & illo, *Excretiones*, quorum amborum duæ poſſunt eſſe intelligentiæ, quæ etiã proponũtur à Gal. in iſto commentario. Vna vocabuli *Vniuerſum* ſeu *Vniuerſim*,

ut

ut alii legunt, eſt totius ſcilicet eius, quod in eſculento aliquo eſt boni exhibitio pro refectione: ut illa ſint velociter nutrientia uniuerſim, quæ breui tempore dant corpori alendo totum quod boni habent pro alitura. Altera intelligentia eſt, omnium corporis partium, ſcilicet uniuerſi corporis, ut uelociter nutrientia uniuerſim ſint ea quæ breui tempore penetrant, nõ modo primas, ſed ſucceſſiue omnes corporis partes, pręſtando in ſingulis nutritionem. Sic vocabuli *Excretionis* una intelligentia eſt, euacuatio, quæ venit ex aluo: ut nutrientium dicantur fieri citæ excretiones, quorum quod ſtercoroſum eſt, cito ſegregatur, & ex aluo ſecernitur. Altera vero intelligentia eſt, reſolutio, aut excretio ultima inſenſibilis, quæ accidit omnium nutrimentorum. Illa enim cum fuerint tranſmutata in ſubſtantiam corporis viuentem, cum & illa ſubſtantia ſpatio temporis reſoluatur, dicentur & ipſa ſub illius ſubſtantiæ forma reſolui.

Sic duplex accipitur concluſio. Prima eſt: quod eſculenta, quæ breui tẽpore dant nutriendo corpori totum, quod habent nutritiui, breui etiam tempore habent eiecta ſua excrementa, qualia ſunt præcipue, quæ veniunt ex aluo.

Secunda eſt, quod quæ eſculenta cito conuertuntur in ſubſtantiam viuentem, cito etiam cum reſolutione inſenſibili, quæ ſequitur ſubſtantiarum omnium viuentium, & ipſa reſoluta videntur excerni. Ex quibus intelligentiis Gal. recipit primam, non quia ſecunda vera non ſit, ſed quia nomen illud excretionis videtur ei magis ſignificare egeſtiones alui, quam inſenſibiles reſolutiones. Ego tamen, licet & ipſe verum eſſe cognoſcam, quod quæ cito nutriunt, cito etiam reddunt excrementa; cũ nutritio nõ poſſit ſequi, niſi ſecreto bono à malo, illoque appoſito, & iſto reiecto, cum vocabulum illud uniuerſum mihi

ma-

magis declarare videtur uniuersitatem nutriendi corporis scilicet ad quam referuntur ista, quæ dicuntur nutriri; probo magis secundam intelligentiam, & conclusionem.

Nec me terret, quod deteruit Gal. Nam verbum excretionis, non magis hanc, quam illã euacuationem significat, sed, dum appositum est vocabulo eorum quæ nutriunt, debet intelligi & illorum sub ea forma proprie, qua nutriunt, & non secundum illam, qua nutriunt ac transeunt in excrementa.

APHOR. XIX.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ prænunciationes salutis aut mortis.

SVnt *Morbi acuti*, ut alibi dictum est, breues, & vehementes; breues quia læsiones partium principalium, maximeque vitalium, quæ longo tempore non possunt tolerare offensas. Ita qui recensentur ab Hipp. tex. VIII. Lib. Primi de ratione victus, in acutis sunt singuli partium principalium. Phrenitis enim & Lethargus aut septi transuersi, aut cerebri sunt creditæ affectiones: Pleuritis vero, & Peripneumonia, membranæ internæ pectoris, ipsorumque pulmonum. Febris ardens cordis ipsius extrema caliditas, aliique, si qui sunt qui febres prorsus continuas habent, maxime afficiunt cor. Vehementes etiam sunt: quia causa eorum non est simplex qualitas ab externo sensim participata, quæ non nisi longo tempore participari, & remoueri possit, sed est materia ingruens, furiosa, & mobilis apostema aliquod faciens. Ita Phrenitis, & Lethargus, credunt tur aliqua apostemata, sicut euidentius Pleuritis, & Peripneumonia: & si Febris ardens non est apostema cordis,

est

est tamē excessiuus calor à mala materia biliosa, ei propinqua. Ex hac ergo breuitate suę durationis non habet medicus tempus sufficiens cognitioni ultimi gradus virtutis ægri, & materiæ morbificę: unde non potest cum ratione solida coniectare de pręsentibus futura, prout requiritur in præuisione & prædictione. Et accedit, quod cū morbi acuti accidant ex materia ingruente in partē principem, sicut illa repente mota est ad eam, unde intulit morbum subitum & vehementem, ita repente potest remota reduci alio, aut ad extra corpus, & inde iudicatione perfecta, ac salubri morbum tollere, aut ad aliam partem ignobilem iudicatione imperfecta morbum leuare, aut è conuerso in partem nobiliorem grauare & occidere. Hinc concludit Hip. medicum nō posse præsagire omnino certam salutem, aut mortem ægrotantium in morbis acutis.

Dubitat Gal. propter appoplexiam. Nam Hipp. de ipsa quæ fortis est, prædicit certam mortem, & soluit dubitationem dicens hanc incertitudinem non esse omnium generum acutorum, ut propterea dixerit Hip. *Non omnino*.

Sed hæc resolutio non arridet. quia illud, *Non omnino*, non excipit species acutorum, sed indiuidua acutis affecta. Nam præuisio, & prædictio futuræ salutis & mortis, est de illo, qui afficitur morbo & finiturus est ad hanc, aut ad illā.

Propterea ego potius censeo, apoplexiam non esse de acutis. Nam Hipp. in serie acutorum proposita illam non enumerauit: & quia acuti sunt ex affecta parte quidē prinpe, sed à materia furiosa, mobili, & calida, ut dicunt medici nostrates: apoplexia autem licet afficiat partem maxime principem, unde lędit adeo operationes, ut in ea dubium sit de vita, est tamen à materia crassa, & propterea irreuocabili, & irresolubili.

APHOR. XX.

Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, his senescentibus exsiccatur. Quibus vero iuuenibus adhuc aluus sicca est, his senescentibus humectatur.

HAbere *Aluos humidas*, est egerere ex aluo quotidie, & pluries in die stercora mollia, ac parũ figurata; sicut habere eas siccas, est nõ egerere quotidie, & tũc reddere ea nimis compacta, & solida, quod est, esse stypticum, sicut superior conditio est, esse lubricum.

Monet ergo Hip. in hoc Aph. quod qui in iuuentute sunt lubrici, sensu proposito, in senectute fiunt styptici; sicut è cõuerso, qui iuuenes sunt styptici, in senectute fiunt lubrici. Quæ conclusio tamen, sicut pleræque regulæ eorum, quæ accidunt, verificatur solum in pluribus, non in omnibus: ut propterea Celsus in Lib. primo de re medica cap. III. eam coarctauit ad plurimos, dum protulit: *quibus iuuenibus fluxit aluus, plerumque in senectute contrahitur, & quibus in adolescentia fuit adstricta, sepe in senectute soluitur.* Et verificatur: sed supposita eadẽ viuendi ratione. Nã mutata in rationẽ fluidam, aut in rationem siccam, poterit fallere. Sunt enim victus rationes, quibus aluus resoluitur, ut exemplificat Gal. de Aegyptiis zythi potoribus, sicut sunt & stypticæ, uti apud thorexomenos. Ratio autem, qua iuuenes fluidi fiant styptici senes, missis illis pluribus nec necessariis quas adducit Gal., est, quia fluidi erãt ex humiditate tẽperamẽti. Iuuenes enim sunt humidiores, quam sint in alia ætate; & ideo habent etiam humida stercora; in senectute vero quia exsiccãtur, etiam stercora sua densantur, & ita contrahuntur, ut propterea plurimi senum sint styptici: quia hoc est senilis temperamenti sicci proprium. Ratio qua aliqui

ado-

adolescentes habeant aluos siccas est, quia sunt ex indiuidualitate sua sicciores. hinc tales sunt semper macri & extenuati, sicut è conuerso fluidi sunt pingues. His autem aluus soluitur in senectute, quia cum creuerit siccitas temperamenti in senectute istorum, reducta est ad talē excessum, qui inducet caloris inopiam, ex qua sequuntur cruditates, non modo humorum unde in iis multiplicantur catarrhi, & euadunt temperamenti humidi humiditate accidentali; verum & cruditates esculentorum, ex quibus oriuntur lubricitates eorum, & pluries soluuntur. Quæ conclusio, nihil aliud habet utilius in arte, quam declarare imbecillitatem senum fluidorum, & robur stypticorum. Dubitatur autem, cur dicat absolute iuuenes lubricos senescere stypticos, cū in Aph. LIII. dicat, hoc sequi magna ex parte. Sed responsio est, quod id quod dicitur sequi plerumque, aliquando dicitur sequi absolute.

APHOR. XXI.

Famem thorexis, idest vini potio, soluit.

EST *Fames* naturalis, ut alias dictum est, appetitus alimenti solidi calidi, & sicci sequutus ex resolutione, & inanitione, quæ procedit iugiter in corpore, & tali assumto sedatur. At illa contingit aliquando morbosa, inexplebilis, & canina à quibusdam vocata, & creditur ex intemperie frigidiore ventriculi, aut humore acido, intra ipsius orificium supernum, absorpto. *Thorexis* autem accipitur, sic probante etiam Gal., pro potione vini, cum Hip. thorexomenos proponat, tanquam diuersos ab hydropotis; adeo ut sicut isti sunt aquæ potores, illi sint vini.

Conclusio ergo Aph. est, quod vini potus tollit famem;

cuius Antiqui expositores ante Gal., qui per famē intelligebāt eā sanā, & naturalē, forsan reddebant rationē, quia in vino ad defferentiam aquæ sunt partes nutritiuæ: unde si fames soluitur oblatis iis, quæ nutriunt, etiam vino solui potest. Quod voluit monere Hipp. ut monstraret, differentiam inter duo, maxime usurpata potus genera, quorum scilicet maxime commune est aquæ, aliud vero est ista thorexis. Qui etenim aquæ est, non nutrit, & ideo famem non soluit, sed potius auget: qui vero vini est nutrit, & propterea famem soluit. Et hoc verificatur quotidiano casu. Nam qui potant aquam, plura comedunt, quam, qui vinum; & qui meracius illud, minus comedunt, quam qui dilutum.

Iurat tamen Gal. per Iouem, Hipp. non de fame naturali sed de canina habere Aph., & quod de canina arguit, quia vinum præsertim dulce est remedium eius, cuius meracioris abundanti potu affirmat sanasse plures morbosas fames. Et quod non intellexerit de fame naturali, arguit Gal. primo ex eo, quod vinum sedat famam morbosam: unde non videtur posse sedare naturalem. Secundo ex eo, quod si famelici sani potent vinum in ieiunio, nullatenus iuuantur, quinimo læduntur, incidentes in deliria ebriosa, & in spasmos.

Ego tamen, licet credam Galeno vini potum esse remedium famis morbosæ, tamen quia non credo Hipp. in Aph. prosequi remedia particularia morborum particularium: & quia si prosequeretur illa, debuisset proponere, primum & summe validum istius casus. hoc autem non est vini potus, sed potius olei. Cōuenio cum antiquis, quod voluerit Hip. famē naturalem, tantoq; magis, quod uomina rerum, quādo non est sequuta specifica declaratio, sunt assumenda in communiori significatione, & demnm quoniam Hipp. hactenus

ctenus in IV. & in XVI. istud nomen sumsit significatiuum famis sanæ. Nec valet dicere, quod vinum est remedium morbosæ: ergo non conuenit sanæ, quia potest esse remedium morbosæ, & est apud Gal. quatenus calefacit; potest modo esse, sicut est, sanæ extrinctiuũ, quatenus nutrit. Et si lædit ieiunos, inducendo deliria, & conuulsiones, illud est ex accidente. Nam vinum potum solum confertim perueniens ad principium agitat illud: unne deliriu m sequitur sicut dictum est in Aph. II. & inflat unde contrahuntur nerui, & fit spasmus, ut dicetur Aph. XXVI.

APHOR. XXII.

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. Et quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

EST *Repletio* de qua Hip. nũc, perditio vacui, quale prius erat in cauitatibus, vasis, aut ductibus corporis nostri ex præsẽtia materię alicuius præsertim humorosæ siue modo attẽdatur in omnibus, siue in plurib⁹, siue in unico loco. Hæc autẽ est duplex; una moderata, quæ est bona, & potius remediũ morborum, ut dicetur: altera excedens terminos naturæ, à qua morbi veniunt. Et ista adhuc est duplex: alia materiæ bonæ ac nutritiuæ, quæ dicitur in scholis ad vasa, nã præcipua & euidentior est: quia natura tollerat magis sine morbo abundantiã boni, quã paucitatem mali: alia vero est materiæ malę, ineptæ operibus naturæ, quæ vocatur ad vires; quia cum ex ea non sequatur nutritio, vires languent. Sic *Euacuatio* est inductio vacui in locis corporis propositis, siue omnibus, siue pluribus, seu vnico: quæ sequitur ad exitum seu priuationem materiæ, præsertim humorosæ, ut dictum est. *Curare* autem est idem ac tollere quod lędit; licet dicatur proprie de ablatione eius quod officit sanitati.

Est

Est itaque conclusio: quod eductio materiæ de corpore tollit morbos, qui veniũt à materia corporis cauitates requisitas obsidente. Et quod inductio materiæ quæ deficit corpori tollit morbos, qui veniunt ex illius defectu: Et quod alios morbos tollit contrarietas, seu operatio contrarii. Facit autẽ repletio morbos, quia ponit materiã præter naturam in corpore, quæ est postea causa coniuncta aliquorum morborum, & antecedens plurium. Sic materia replens facit immediate morbum malæ conformationis, & disponit ad solutionem continuitatis, & ad intemperies. Facit etiam euacuatio primo & immediate morbos malæ conformationis, mox mediate alios; & de his quos facit mediate repletio, & euacuatio, præsertim intelligit Hipp. Quod colligitur ex eo, quod dicit morbos qui fiunt, nõ autẽ, qui facti sunt. Ex quo Aph. accipitur primũ principium artificiale in medicina, quod contraria cõtrariis curantur.

Cuius ratio est proposita in Aph. VI. Primæ Sect., & est: quod cum ægritudo sit distractio corporis à statu naturæ suæ, aut in conformatione, cuius exemplum est repletio eorum quæ debent esse vacua, & euacuatio eorum quę debent esse plena, aut in continuitate sua, aut in temperamẽto, non potest reduci nisi per tractionem in contrarium, & ita morbi tolluntur contrariis.

Dubitatur autem de veritate conclusionis. Nam aqua frigida quandoq; curat ventriculi frigiditatem. Et rhabarbarum aliaque catharctica tollunt febrem, cum tamen illa calefaciant, & febris sit calida intemperies. Sed responsio est: quod etsi aqua sit frigida per se, calefacit tamen per accidens, dum densando substantiam firmat in ea calorem. Sic catharctica, licet primo calefaciãt, posterius refrigerãt, dum per illa ducitur è corpore humor, à quo crescebat corpori calor, & oriebatur febris. Vnde conclusio

de-

debet accipi, quod quę faciunt in contrarium morbis seu sunt contraria in effectu, sunt morborum curatiua, licet hoc faciant aliquando secundario, & per accidens.

APHOR. XXIII.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

ACuti *morbi*, qui fuere superius declarati, sunt duplices: quidam simpliciter per se, & propterea semper acuti, quales sunt etiam supra citati in Aph. x I x. & in I v. Primi Lib. quidam vero non semper tales, sed à principio, aut in fine non acuti; quos antiqui, & nostrates vocant, per intercidentiam, qui tanto ulterius producuntur, quanto fuerunt sine acutie: & de acutis per se est Aph. iste.

Vnde conclusio erit: quod acuties morborum non protenditur ultra quatuordecim dies, quin terminetur repetino decubitu, aut euacuatione. Quæ conclusio verificatur in morbis soli naturæ remissis. Nam in quibus medicus aperta vena, aut soluta aluo, educit materiã, sequitur frequenter resolutio, & terminatio sine euacuatione, aut decubitu. Sicut talis duratio est accipienda, supposito, quod ęger continens sit, nec multo victu materiam augeat; nam tunc ultra quatuordecim possunt produci.

Ratio autem uniuersalis breuitatis acutorum est, nimia eorum violentia, propter lęsionem partium principalium. Particularis modo determinati spatii quatuordecim dierum, non alia habetur, quam ex longa medicorum obseruatione.

APHOR. XXIV.

Septenorum, quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & undecimus contemplabilis. Ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus verò, & decimus septimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est à quartodecimo; septimus verò ab undecimo.

SEptena possunt dici quæcumque septimo numero gaudent. Sed quæ cauentur ab hominibus sunt anni menses, & dies. Nam septennia forsan superstitiose nimis sunt cauta, ut prioris septimi mensis, septimorumq; vitę annorũ. Nunc tamen per septena intelligendi sunt septimi ægritudinum dies. Nam Hippoc. eos septimanas appellat: & istorum erat in morbis etiam ante Hip. summa cautio, quoniam obseruarunt plerumque, morbos acutos in ipsis determinatis iudicari; vere acutos, in primo, aũt secundo; non vere acutos, in subsequentibus, usque ad quadragesimum diem, eosque propterea κρυσίμους, seu κριτικοὺς dixerunt, sicut obseruarunt quartos septimanarum dies habere aliquã mutationem morbi, quasi tentamen eius, quæ perficienda erat in septenis, quos propterea ab hac nota Latini indices, & indicatorios dixerunt.

APHOR. XXV.

Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues: Autumnales longæ, & maximè quæ hiemem attingunt.

QVartanæ dicuntur febres, quæ quarta quaque die repetunt. Et *Aestiuas* intelligit Hip., quæ accendun-

tur

tur æstate; *Autumnales* autem quæ accenduntur autumno, aut peruenerunt ad ipsum. Sunt autem febres omnes calores excedentes terminos naturæ, unde eas definiuit Gal. esse intemperies calidas, Auicen. vero esse calores extraneos; Auer esse calorem adauctum, & Græci, ab igne, illas denominantes primitus πυρέτους appellarunt - Accendi autem creduntur quartanæ ex humore melãcholico in corpore putrescente: ultimaque earum breuitas est, quatuor accessionum, sic obseruante Celso lib. III. cap. XV. longitudo vero annorum, mediocritas autem mensium.

Conclusio itaque Aph. est, quod febres quartanę, quæ accendentur æstate, omnium minime durabunt. Aliquę etenim in quarta periodo finiuntur, multæque ante hiemẽ desinunt: quæ vero venient, aut deuenient in autumnum, diutius durabunt. Nam plerumque circa hiemis initium, solstitium scilicet, ante brumam finiunt; quæque deuenerint ad profundum hiemis, brumam scilicet, sunt longissimæ. non enim nisi æstate sub alio solstitio, ad minimum resoluuntur.

Ratio autem huius rei est, difficultas resolutionis materiæ, quę, cum fiat per iugem ex ambitu euaporationem, decrescit quo magis remittitur ambiens calor, & frigus aduenit. Cũ ergo æstate fiat ex ambiente calidiore maior resolutio, spes est quod tota materia quartanæ resoluatur, aut parum reducatur ad autumnum; cum vero superuenit ipse minuta resolutione, sequitur quod si quę quartana habuerit in eo principium, longius duret, & si non fuerit omnino resoluta ante brumam, superueniente ea, quæ densat omnino habitũ, & crudos efficit humores, materia quartanę multiplicetur; unde non possit nisi longissimo tempore, & solstitiali calore æstiuo resolui. Et hoc accidit in omnibus morbis materialibus. Simplices etenim intemperies hoc

non habent perſe, nec ſolutiones continuitatis, niſi quatenus pro unione requiritur reſolutio excrementorom etiam in ipſis, quę difficilis redditur ab ambiente frigore, unde vulnera ſerius ſanantur autumno, & hieme, quam vere, & æſtate, ſicut dolores omneſque morbi à materia dependentes.

APHOR. XXVI.

Febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem.

CVm febris prout, dictum eſt in præcedente, ſit calor nimius, habet pro effectu proprio in nobis attenuare ſubſtantias, & inde inſenſibiliter reſoluere plus quam naturæ conueniat. Eſt modo *Conuulſio*, quæ & diſtentio neruorum à Latinis, à Gręcis σπασμὸς dicitur, inuoluntaria & ſubita contractio membrorum ad truncum, partiumque ad principium ſuum. Sic in ea quam Græci τέτανον dicebant, membra cuncta reducuntur adeo ad truncum ſuum, ut amplius ab eo abduci nequeant, unde iacet, & riget totum corpus; & in ea quam ὀπισθότονον vocabant, contrahitur in poſterius adeo truncus corporis, ut caput ſcapulis adnectat; & in ea quam ἐμπροσθότονον appellabant, curuatur eo in anterius, ut mentũ ad pectus reducatur. Contrahuntur autem confertim membra ad truncum, & partes ad principiũ ſuum, dum quæ ſubſtantiæ ſeruiunt iis colligandis, repente perdunt longitudinem priſtinam, & abbreuiãtur. Hanc autem perdunt, aut dum ſubito reſoluitur ex eis humiditas ea quæ illarum conſeruabat lentorem, quo ſeruabantur extenſæ; ſic cordæ inſtrumentorum muſicalium igni admotæ contrahuntur: aut dum ſubito illabitur aliqua materia humoroſa, aut flatuoſa, qua extendatur earum latitudo; tũc

enim

enim quantum dimensionis acquirunt in latũ, tantumdem perdunt in longum. Sic fides musicales citatæ, dum imbibuntur humore, ingrossantur & abreuiantur & contrahuntur etiam, licet hoc eis accidat sensim, quia humiditas qua implentur eis sensim insinuatur. Hinc Hipp. in repletionem & inanitionem retulit conuulsiones, ut demonstrabo in Aph. xxxix. Sexti Lib. Quę modo sint istæ colligãtiæ, an nerui, & qui; an arteriæ etiam ipsæ læues à Gal. vocatæ, dicetur eo loco, & in Aph. primis Quintæ Sectionis. in quibus mõstrabitur qua ratione fiat cõuulsio à superflua purgatione, ab effusione sanguinis, & à vulneribus. Nunc accipiatur, quod quę venit ab ingruẽte materia facilius tollitur, quia facilius est demere, quã adiicere; quę vero sequitur inanitionẽ subitaneã difficilius curatur, quia impossibile est cito replere. Et accipiatur quod febris non accenditur quando maxime inanitum est corpus, sed quando est repletum. Nam ad innanitionem sequitur frigiditas, & ad repletionem putredo calorifica, unde febris potest sequi conuulsionem à repletione, non autem eam quæ est ab innanitione.

Quibus habitis, est conclusio huius Aph. quod de duobus malis quæ solent sibi inuicem superuenire, ut conuulsio febri, & febris conuulsioni, minus terribilis est febris à conuulsione.

Et ratio est. nam tunc conuulsio est à materia ingruente in magnas colligãtias, cuius poterit esse attenuatiua, & resolutiua febrilis caliditas; quæ vero conuulsio sequitur à febre debet esse ex nimia attenuatione, & resolutione materiæ, quæ non potest adeo breui redimi.

APHOR. XXVII.

His qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere; neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, nec multum durare & permanere consueuere.

QVi *Leuius se habere* proponuntur, sunt procul dubio ægrotantes. Illi autem dicuntur esse alleuiati, quando symptomata in ipsis sunt remissa, aut numero diminuta: & dicuntur esse alleuiati *Non ex ratione*, quando non erit reperibilis causa propria illius leuaminis. Causa etenim propria est ablatio causæ morbificæ, non modo coniunctæ, sed etiã eius quę proximè antecedit. Sic in febre intermittente; est sequuta alleuiatio præter rationẽ in die intermissionis, quia remiserunt accidentia febris, sed restitit adhuc in corpore causa antecedens morbifica, quę tempore breui reducet ægritudinem, eamque maiorem, & forsan continuam. Sic in febre continua ex materia putrescente, & in inflammatione, sequitur aliquando alleuiatio per ablationem alicuius accidẽtis, exem. gra. vomitus, qui cessit, tunc illa est præter rationem, quando non est educta tota materia, quæ vomitum incitabat. Nam reducta ad intra venas, maiorem, & peiorem ægritudinem faciet. Sic ergo alleuiamenta sine ratione sunt, quæ veniunt ex ablatione causæ non principalis, immo remanente causa prima, & principali, sicut e conuerso cum ratione sunt, quando ablata est causa principalis. Ita mala quæ superueniunt ægris, & dicuntur ægrorum deterioramenta, erunt non secundum rationem, quando non aderit causa principalis illorum, sed venerint ab aliqua causa accidentali

tali, aut externa. Sic ſebricitans dum adauxit ſibi febrem ex ira, tunc illa adauctio dicitur eſſe præter rationem, quoniam eſt præter cauſam primam, & principalem illius febris, cum illa eſſet, aut abundantia mali humoris, aut oppilatio, quarum nulla eſt adaucta, ut cum ratione creuerit febris.

Eſt ergo concluſio: quod alleuiamenta ægrorum ſequuta ſine diminutione cauſarum principalium internarum illius ægritudinis, non debent mouere nos ad maiorẽ ſpem, & fiduciam, ſicut nec deterioramenta ſequuta ſine augmento cauſarum principalium morbificarum, non debent augere timorem.

Et ratio eſt quia, hæc ſequuta debent eſſe ex accidente, & propterea non duratura longo tempore.

Hinc monitum ſit: ne magis faciamus ſpe, aut timore, mutationes inſperatas, niſi illę longo tempore durauerint. Cum autem durauerint, multi faciamus, etiamſi non agnouerimus cauſam. Quoniam fieri poteſt quod ſint cum ratione, quam noſtra imbecillitas non poſſit cognoſcere; medicus enim frequenter cognoſcit à poſteriore, quod non poteſt ſcire à priore.

APHOR. XXIIX.

Febricitantium non omninò leuiter, permanere corpus, nihil minui, vel etiam plus, quam ratio poſtulat, contabeſcere, malum. Hoc enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem ſignificat.

FEbricitant non omnino leuiter, qui mediocriter æſtuant, & ardent, pulſus, & reſpirationem mediocriter habent magnificata, accelerata, frequentata, & inęquata, mediocriter ſitiunt, capite dolent, iactantur, & non omnino

laſſi

lassi nec insomnes sunt, in summa quibus accidentia febrium propria mediocria sunt. *Permanere* autem eorum corpora sunt intelligenda in propriis dimensionibus, præsertim latitudinis, & profunditatis, quæ in febribus solent diminui. *Rationis* vero *Postulatum* est, coæquatio effectus cũ propria causa, præsertim effectiua. *Contabescere* demum dicitur de omni extenuari, ac pristinam corporis latitudinẽ, & profunditatem perdere; & licet dicatur de eo, quod sequitur ad affectionem pulmonis, ut notat Gal. forsan quia frequentius accidit ab illo, quam ab alia affectione; attamen importat omne extenuari: & ante Gal. dicebatur tabes, & de aliis extenuationibus, quæ veniunt sine lęsione pulmonum, ut videre est apud Celsum lib. III. cap. XXII.

Sunt ergo conclusiones duæ huius Aph. Prima est, quod malum signum est febricitantem extenuari minus, quam ab illa febre deberet. Nã hoc importat morbi longitudinem. Secunda conclusio est quod malum signum est emacrescere plus quam par sit ex illa febre, quoniam importat imbecillitatem.

Ratio primæ conclusionis est: quoniam minor extenuatio, quam debeatur febri extenuanti, procedit à solidita-te, & crassitie corporis magis resistente resolutioni. sed hoc producit resolutienem materiæ febrilis, unde prolongabitur febris.

Ratio secundæ conclusionis est: quoniam extenuari magis quam febris possit, procedit à facilitate subiecti corporis: facilitas autem à substantia molli, rara, & resolubili; unde ex proposita nimia extenuatione in respectu ad febrem, primo arguitur & significatur substantia corporis nimium resolubilis, & ex ea postea, sequuta resolutione, significatur imbecillitas, & ex imbecillitate facilitas mortis. Minor ergo extenuatio morbi longitudinem, maior

au-

autem mortem signficabit.

Quæ non autē sit maior, aut minor extenuatio, ea quę ad febrē extenuantē refertur, debet dignosci ex obseruatione similis febris in similibus indiuiduis, immo si fieri potest in eodem, & obseruatione extenuationis inde sequutæ. Non enim febris potest mensurari.

APHOR. XXIX.

Quum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: quum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.

INchoare, cum sit idem ac initiari, & initium morborum dicatur, ut obseruauit etiam Gal. lib. 1. Aphor. XII. de primo instante, aut minimo tempore, quo ducitur corpus de sanitate ad ægritudinem; & dicatur de toto illo tempore, quod requiritur ad integram manifestationem eiusdem ægritudinis; quod in ægritudinibus acutis breue est, & bene finitur à Gal. spatio duorum scilicet, aut trium dierum in longis vero, longius; & in paroxysmalibus duorum, aut trium paroxysmorum; & dicatur de toto tempore, quo morbus non apparet adhuc sensibiliter crescere; quod in longis extenditur semper ultra tertiam diem, in acutis non, & iusta, quod sunt magis, aut minus acuti. Hip. accipit nunc hoc verbum, prout importat totum illud tempus quo non apparet morbus sensibiliter crescere: vnde & partem primam augmenti. Quod colligitur, ex eo quod proponit pro diuerso & contrario, aut medio saltē, consistētiā, ut videatur omittere augmentū, & declinationē. *Consistere* vero, ut dictum est in Aph. x. Primi est ad ultimū augmentū iam peruenisse. Et *Mouere*, ut dicitum fuit in XXII. Eiusdē, est intelligendū præsertim de loco ad locum euacuando, sicut

cut de parte corporis ad partem reuellendo, aut reppellẽdo, ſed maxime de corpore ad extra euacuando. Nam parum proprie dici poteſt de alterando.

Eſt itaque concluſio Aph. imperatiua. Quod ſi videatur aliquid in morbis eſſe transferendum de parte ad partem repulſione, aut reuulſione, vel de corpore ad extra corpus euacuatione, illud eſt faciendum, quando morbus non eſt adhuc in ſtatu, nec ultimo augmento: tunc enim melius eſt quietem habere corpus, & nullo modo dictorũ motuum moueri.

Ratio autem, qua reuulſio, & repulſio conueniat in principiis, manifeſta eſt. Quando enim materia vult adire partẽ indebitam eſt reuellenda, & repellenda dum adit: hęc autem ſunt in principio.

Ratio modo, quod conueniat euacuatio in principiis eſt difficilis; ſed ut acipiatur, determinãdũ primo de qua euacuatione. Et ſtatim apparet, quod non de inſenſibili, quæ peragitur inedia, aut exercitio, nec de ea, quæ parum sẽſibilis eſt, qualis eſt ſudor. Nam iſtæ non ſunt euidentes, ut poſſit dici in eis corpus moueri localiter. Nec videtur ſub hoc nomine motus comprehẽdenda euacuatio, per ſputum, aut urinam, cum parum inde moueatur de corpore, præter excrementum conſuetũ; reliquum ergo eſt, ut hoc intelligatur de ſanguine à venis, aut de aliis materiebus ex aluo. In his enim euacuationibus corpus videtur ſenſibiliter moueri, quoniam aliquid venit ſenſibile valde ex illo, unde ipſum mutatur.

Hinc Gal. & bene in cõmentario, illud accipit de venæ ſectione & de catarcthicis, quorum inquit nihil oportet morbo iam conſiſtente adhibere. Diſputant autem Neoterici, quod vena ſecari, ſanguisque mitti apud Gal. lib. de Arte cur. per ſang. miſſionem tex. xx. probetur quocumq;

tem-

tempore aderit morbi magnitudo, & virium robur. Et Hip. vigente pleuritide ſanguinem miſit. Ita diſputant de catharcticis ex Aph. XXII. Primę Sectionis.

Ego autem cum inclinem, ut eo loco docui, quod præcipiat Hipp. ſanguinem mittendum, & humores ex aluo ducendos à principio, ut minuta materia minus poſſit faceſſere in eã quæ eſt morbi cõiuncta, nec poſſit corpus corrũpẽdo morbum augere, ad quam diminutionem docui antiquos maxime uſurpaſſe inediam, laudo, & probo maxime Gal. expoſitionem, eoque magis quod, ut dicetur in Aph. ſequente, vires ſunt à principio magis robuſtę, in ſtatu vero debiles. Nam morbi eorumque accidentia ſunt in principio, & fine debiliora, ut dicetur in ſequente.

Nec obſtat, quod Gal. alias probauerit quocũq; tempore ſanguinis miſſionem; quoniam hoc dixit in morbi vehemẽtia, quæ eſt quoddã eius incrementũ: & ſuppoſito, quod non fuerit ductus eouſque ſanguis, non, quod non probet magis ipſius miſſionem à principio; Et ſi Hip. duxit sãguinem in pleuritide vigente, hoc fecit, non quia melius non fuiſſet duxiſſe in principio, ſed quia difficulter poteſt, non ſequuta eſculentorum coctione; & quia pleuritis ſtatim viget.

Circa purgantia autem, licet aliqui dicant hanc concluſionem eſſe in caſu materię turgentis, & eſſe de minoratiuis lenientibus. Ego remitto ipſis hanc reſolutionem, cum dixerim concoctionem ad quam dicit eo loco eſſe differendã euacuationẽ venarũ, aut alui, eſſe non materiæ humoroſæ diſpoſitæ ad inferendum morbum, ſed materiæ eſculentorum. Hæc autem fit breui, ut poſſit adhuc poſt eam moueri corpus ante morbi augumentũ, aut in eius primo principio, & ita quando inchoant, rationibus ibi propoſitis. Verũ quidem eſt, quod erit motio minoratiua. Nam quæ mate-

ria insinuata est substantiis viuentibus non potest tuto, & commode reduci pro euacuatione ad aluum tota primo temporis momento.

APHOR. XXX.

Circa initia, & fines, omnia imbecilliora; quum vero consistunt fortiora.

INitium morbi, quid sit, patet ex se, & declaratum est magis in præcendẽte; ita & *Finis*, qui opponitur ei. Supponendum etenim est initium, & finis, quæ hic accipiuntur in consideratione ab Hipp. esse morborum non alterius rei. Nam quæcumq; considerantur ab ipso, diriguntur ad hoc. Ita ex hoc sequitur, quod ista *Omnia* debeant esse ad morbum spectantia, quæ sunt primo morbus ipse, secundo suę causæ, & tertio sua accidentia. Omnia etenim ista morbosa quædam sunt. *Imbecilliora* autem dicuntur, quæcumque in sua natura deficiunt, & imperfecta sunt. Ita morbus imbecillior, qui minor erit alio, aut semetipso in alio tempore. Sic causa quę minorem morbum proferret, & symptoma, quod minus erit. *Fortiora* vero è contrario quæcumque habebunt ultimum gradum suæ essentiæ.

Sic conclusio Aph. est, quod in principio morbus ipse, causæ suæ, & accidentia, quæ sequuntur ipsum, sunt minus mutata à statu naturę; in consistentia vero sunt magis mutata: in fine adhuc, cũ fiat reditus ad sauitatem, omnia redeuntia ad naturæ statum. Et ratio est, quoniam usque ad statum morbus crescit unde crescere debent quæcumque sunt de ipso.

APHOR. XXXI.

Eius, qui ex ægritudine benè cibatur, nihil proficere corpus, malum.

EX *ægritudine* est idem, ac à morbo: unde per talem intelligendus est cum Hipp. conualescens, ut dictum fuit in Aph. VIII. Sic per *Bene cibatum*, accipiendus est, qui comedit ad modum hominis sani, quem loco citato *Cibum assumentem* appellauit. *Proficere* autē *Corpus* coincidit cū eo, quod vocauit *Coroborari*: hoc est pristinum corporis & virium statum recuperare. Et nimis subtiliter distinguit Gal. proficere à coroborari, idicens quod proficere est corporis, coroborari vero virium. Nam sicut vires insistunt corporibus, uti formæ in materia: ita nō possunt moueri sine motu corporum, nec illa sine motu earum; unde corroborari coincidit cū repleri, & nutriri corporis, quod est proficere ipsius: & proficere eius, quod est refici, & repleri, ac reduci ad pristinam suam dimensionem; non potest accidere sine virium corroborari.

Est ergo conclusio quod signum malum est, quando conualescens comedit ad modum sani, & non se reficit.

Nam illud non refici, cum non possit esse in casu isto, ex defectu alimenti, debet esse ex defectu virtutis nutritiuæ, quæ deficiat à mala aliqua interna constitutione, aut intēperie simplici, vel cū materia: quæ cuncta sunt mala. Vnde non sequuta refectio in conualescente prænunciat reuersuram ægritudinem, & recidiuam. Hinc conclusio huius Aph. est fere eadem cum illa quæ in VIII. quam repetiit forsan propter sui momentum.

APHOR. XXXII.

Omnes ferè, qui malè se habent circa initia, benè cibati, neq; quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt: qui verò circa initia cibum valdè non appetunt, postea bene appetentes, ii melius euadunt.

LIcet Gal. plurimique cum illo per *Male se habentes* accipiant conualescentes: ego concipio ægros ipsos, quia illi plus, & magis proprie dici possunt male se habere, cum idem sit male habere, ac malum habere, & malum sit ipse morbus. Eoque magis hoc concipio, quoniam conualescentiarum non est sollicitus adeo medicus, ut obseruet earum initia, & fines, prout facit modo Hip. istorum male habentium, seu malarum habitudinum. Et maxime hunc sensum accipio ex eo, quod dicit istorum male habentium aliquos melius, alios peius *Euadere*. Quod verbũ importat exire à periculo, & per consequens potius à morbo. Credo bene quidem hos esse non grauiter, sed leuiter ægrotãtes, dispositos potius ad graues, atque periculosas ægritudines, quam ex illis conualescentes. *Cibati* autem *Bene* manifestius est, quod sunt qui comedunt cũ appetitu. Nã iis Hipp. in fine tex. opponit non appetentes. *Proficere* autem, ut dictum nuper est, est procedere ad bonum, & propterea versus sanitatem. Appetitus autem excitatur à defectu substantiæ viuentis, ipseque ex euacuatione, aut sẽsibili aliqua de propositis supra pluries, aut insensibili iugique resolutione, cum defectu eius quod debet cedere in refectionem nutriti.

Sunt itaque in isto Aph. duę conclusiones, quarum prima est: quod ægrotantium seu male habentium, quidam perdunt

dunt appetitum à principio, quidam vero solumodo in fine ægritudinis. Secunda est: quod melius, idest cum minore molestia, & minore tempore liberantur ii qui perdiderunt appetitum à principio.

Quæ conclusiones supponunt necessariam esse in morbis appetitus perditionem, siue modo hæc accidat à principio, siue in fine. Hæc autem sequitur in morbis materialibus. Nam eorum materia, aut est primitus circa ventrem, tuncque tollit appetitum à principio, aut tandem deuenit ad ipsũ, & tunc aufert appetitũ in fine. Appetitus enim tollitur à præsẽte materia. Et de his Hip. loquitur. Ratio modo secundæ facilior habetur ex prima. Qui enim habent materiam morbificam circa ventrem, eam habent magis exitui propinquam, & inde faciliorem; unde ea cito excreta citius liberantur: qui vero habent illam insinuatam, non possunt liberari, ni veniat ad ventrem; unde duplo tempore debent ægrotare.

Sed dubitabit aliquis: an necesse sit materiam omnẽ morbosam exire per ventrem, & ita in omni ægritudine aliquãdo tollere appetitum: quia potest exire per ulteriores vias urinæ scilicet, & sudoris. Cui responsio sit: quod plerumq; materiæ morborum sunt in ventre, & à ventre eiiciuntur.

APHOR. XXXIII.

In quouis morbo mente constare, & benè se habere ad illa quæ offeruntur, bonum; contrarium verò malum.

DIctum est in Aph. III. & VI. Hipp. cum antiquis, nomine mentis accepisse, non intellectum, qui organicus non est, & propterea non potest dici ægrotare; sed sensus internos, imaginatiuam præcipue. Quod modo cõstare importet idem, ac perseuerare, & non mutari, patet

ex

ex vi vocabuli; Vnde *Constare mente*, erit persistere in operatione sana, & naturali phantasiæ, scilicet non decipi imaginibus, nec loqui aliena, prout faciunt, qui amentes, quasi sine mente, & mente capti dicuntur. *Bene autem se habere* ad aliquod, est non habere repugnantiam cum illo; ut propterea cum illa quæ *Offerri* dicuntur in textu, sint alimenta, ut declaratum est in XVII. Primi Lib., bene se habere ad illa, erit comedere sine repugnantia tali qualē ἀνορεξίαν Græci vocant: non dico cum appetitu, potest enim sine anorexia & sine appetitu homo comedere.

Et cum vocabulum boni ac mali aliquando importet bonitatem, & malitiam in ratione causæ; aliquando in ratione signi, & quandoque in utraque, ut pluries dictum est; licet aliqui accipiant conclusionem huius Aphor. in ratione causæ, quod admittere alimenta iuuatiuū est ægrotis. Ego cum Gal. accipio potius eam in ratione signi talem. Quod in quocunq; morbo nō fallere imaginibus, nec loqui aliena, & comedere sine repugnantia est bonum signum; desipere vero aut fastidire esculenta, est malum signum.

Sed curnam bona aut mala signa sint, patebit ex repetitione eius, unde veniat delirium, & obseruatione eius, unde veniat cibi fastidium. Venire autem dictum est delirium ex intemperie simplici aut cum materia quacunque inflammatoria partium maxime principalium pro sensibus. Istæ autem sunt cerebrum, & cor. Ita fastidiū accidit ex simili affectione partium, quæ laborant circa alimentum, & quarum operatio supponitur operationibus sensus & motus. Cum ergo delirare importet affectionem partium principalium sensibus internis destinatarum, & fastidire affectionem partium seruientium primæ vitæ, bene dicitur malum signum: sicut è conuerso mente constare, & non fastidire cum sint effectus sanitatis partium, in quibus consistit anima.

malitas & primum viuere, erunt bonum ſignum.

Obſeruandum tamen quod bonum ſignum non ſemper importat ſalutem, nec malum ſemper mortem. Nam dicuntur in reſpectu, eius quod præceſſit, cũ ſint de futuris.

Damnabit autem aliquis Hipp. de ſuperfluitate ſtili, cum ſubiungat *Contrarium vero malum*, ſi contrariorum intelliguntur eſſe contrariæ rationes. Sed ego credo ſubiunxiſſe Hip. illa verba, quia *Malum* plus in ſuo genere importat quam *Bonum*; bonum enim non neceſſario, nec de facili ſalutem, malum vero facilem mortem importat, ut profecto importat mentis alienatio, & faſtidium cibi.

APHOR. XXXIV.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus ſecundum nihil iſtorum congruit.

PEriclitari, licet potiſſime ſit incurrere mortem, eſt tamen & incurrere quodcumque validum peius. Ideo dicentur periclitari in morbis nõ modo qui morientur, ſed etiam qui de leuibus inceſſerint in graues, aut incurabiles ægritudines, ut qui ex imminuta aliqua operatione inceſſerint in abſolutã eius perditionem, quemadmodũ qui ex imbecilli viſu incurrerit in cæcitatem. *Natura* autẽ, ut eſt alibi dictũ, eſt conſtitutio noſtri corporis, quæ cum conſiſtat in temperamento, cõformatione, ac unione propriis, importat hæc omnia, aut alterum ex his. Hæc autem varia eſt, non modo ſpecie, ſed & indiuiduo. Vnuſquiſque enim noſtrum habet temperiem, conformationemque humanam, qua differt à temperie, & conformatione aliorum animantium: ſed & conformationem ac temperiem ſibi ſoli propriam

priam, qua differt ab aliis indiuiduis hominibus. Quę varia adhuc fit processu temporis, ac vitæ decursu, unde variatur secundũ ætates. Alia etenim est temperies & aliquatenus diuersa conformatio Petri senis ab ea, quæ præfuit eiusdem adulti, aut adolescentis. Et variatur etiam iuxta tempora anni per varietatem contingentem in aere, à cuius iugi contactu corpora alterantur in temperie, & consequutiuè aliquatenus in conformatione, dũ frigore laxantur, aut densantur, aut obstruuntur. Quin etiã variatur à modo viuendi, iuxta quem alia sequitur temperies, & conformatio ex vini potu, alia ex potu aquæ, alia exercitati, & alia ociosi. & hęc natura acquisita cũ sit, dicitur *Habitus*. *Congruere* modo est habere facilitatem ex dispositione patientis: quę dispositio corporum in morbis est propter excessum leuem aliquem, ad magnum, & sensibilem eiusdem generis, qui morbus dicitur.

Vnde conclusio Aph. est: quod ęgrotantium illi difficillius morientur, aut ibunt in validum peius, qui ægrotabunt ægritudine aliqua, ad quam inclinabit corpus ex propria ac indiuiduali constitutione ab ortu accepta, aut mutatione ętatis suborta, aut anni tempore facta, aut ab ea, qualis est acquisita ex longa viuendi ratione.

Et ratio est: quoniam tunc erit minor recessus à statu naturali, & ideo minor morbus, cum ille sit recessus à natura innata, aut acquisita ex ętate, vel tempore, vel victus ratione. Hinc facile soluitur dubitatio: quod morbi nõ possint congruere ętati, tempori, & habitui, sed soli naturę, à qua sunt recessus. Nam semper sunt intelligendi cõgruere naturę: sed ei quatenus variatur ex ętate, tẽpore, victus ratione. Et obseruandũ, quod sicuti ex proposita naturali dispositione ad aliquem morbum ęger facilius euadit: quia in illo existens recedit à natura sua per paucio-

res

res gradus; ita facilius ſemper illius morbi cauſæ ſuccumbit.

APHOR. XXXV.

In quouis morbo partes ad umbilicum & imum ventrem attinentes craſſitudinem habere, melius eſt; multum vero extenuari, et contabeſcere, prauum. Sed hoc quoque ad inferiores purgationes, periculoſum.

QVod *Vmbilicus* ſit pars illa, quę eſt veluti centrum ventris, unicuique ſatis clarum eſt, ſicut & liquet, *Ventrem* eſſe illam corporis partem in qua reconduntur præſertim partes quæ agunt circa alimentum. Dubiũ tamen accidit ex eo, quod Hippo. dixerit ventrem imum, an ſit in corpore alter venter non imus, an vero dixerit imum quia intellexerit partem inferiorem eius. Et dubium eſt quænam ſint partes quæ dicuntur *Attinere* ad hunc umbilicum, & ad hunc ventrem imum, cum poſſint intelligi propinquæ quidem ſed inferius, aut propinquæ circumquaque, aut propinquæ ſuperius. Et dubium inde eſt: an internæ quæ viſcera dicuntur, an vero externæ operimentales, membranoſæ, ſcilicet carnoſæ, & cutaneę. Ego cum Gal. exiſtimo per ventrem imum intellexiſſe Hip. ventrem ſecundum imum ſui, hoc eſt ultimam eius partem. Eſt autem ultima pars eius, quæ ſubiacet umbilico uſque ad inguina, quibus ille finitur. Cõmode enim videtur umbilicus partiri ventrem in partes duas, ſuperiorem, & inferiorem. Et ita cenſeo partes attinentes ad imum ventrem eſſe, quę ab umbilico ſunt ad inguina: partes vero ad umbilicum attinentes, eſſe quę à coſtis ſunt ad umbilicum, ſicque voluiſſe Hip. intelligere totum ventrem ſecundum partes ſuperiorẽ & inferiorẽ. Sed diſſentio à Gal. qui credit Hip. intel-

lexisse de partibus solis operimentalibus ventris, cum ego credam & de contentis in eo visceribus; quæ quo crassiora sunt, crassiorem reddunt ventrē continentem. *Crassitudinem* enim *Habere*, est esse multæ dimensionis cuiusuis, sicut *Extenuari, & contabescere* est perdere dimensiones & in quantitate minui.

Sunt ergo iudicio meo in hoc Aph. conclusiones duę. Prima, quod in omni morbo conducit sanitati habere ventrē cum visceribus suis plenum & crassum, sicut obstat sanitati recuperandæ venter extenuatus. Secunda conclusio est quod extenuatus venter est periculosus in usu purgantium per inferiora.

Rationem primę cōclusionis accipio quodāmodo à Gal. Nam cum plurimi morbi per se venientes & magni, de quibus debet sollicitari medicus, sint ex materia; eaque congeratur primo in ventre, & visceribus eius, neque educatur nisi à calore eius cocta; calorque magis vigeat, quo magis abundat substantia ventris & viscerum, sequitur quod ventrosi homines plus valeant non modo coctioni alimentorū, quæ requiritur valetudini tuendæ, sed etiam coctioni materierum malarum, quæ requiritur morborum dictorū curationi. Rationem secundæ conclusionis addo: nam in purgationibus per inferiora primo educitur, quod in ventre ipso est. Quod si in ipso minimum est humiditatis, periculum accidit ne ex eius eductione ducatur ad ultimā tenuitatem, unde aut incurrat æger conuulsionem letalem aut perdat vim coctricem, & inde sequatur malus habitus ac mors.

APHOR. XXXVI.

Qui salubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, cito exsoluuntur; & qui prauo utuntur cibo.

Salu-

S*Alubritatem corporis habere* dicuntur, qui ſani prorſus ſũt actu, & potentia, quoſq; Celſus, ſanos, & bene valentes appellat, qui propterea nullatenus ſunt diſpoſiti ad ægritudinem; unde reſiſtunt etiam cauſis ægrotare facientibus. Tales autem ſunt, qui nullam habent, nec leuem intemperiem, nec leuem aliquam interius malam conformationem, unde nihil malæ materiæ intra ſe congregant, ſed pura conſiſtunt. *Purgantia* autem *Medicamenta* ſunt, quę aut lubricando interna faciunt excidere de corporibus materias: aut pungendo ſtimulant partes internas ad concuſſionem, ad quam ſequitur eius, quod continebatur exitus: aut inſimul aperiendo meatus, & vaſa, faciunt effluere, quę materiæ humoroſæ in iis conſiſtunt: aut eaſdem materias attenuando reddunt fluidiores: aut etiam ſubſtantias concretas ſub viuentis natura, colliquant in humoroſas formas. Quæ propterea cuncta ſunt calida, & reſolutiua. *Exolui* vero dicuntur corpora, quando ſubito viribus & animo deficiunt. Qui virium, & animi defectus accidit, quando deficit nutritio, quæ eſt fundamentum omnium virium, & accidit ſubitus, quãdo deficit materia quę ſubito, & omni momento participatur. Hæc autem eſt ſpirituoſa, à corde procedens. *Prauus* demum cibus eſt, qui parum nutrit, & in multa excrementa deducitur. Nam prauum dicitur, quod non aſſequitur finem ſuum; ſicut bonũ vocatur quodcumque illum conſequitur: & finis cibi eſt nutritio.

Sunt ergo in hoc Aphor. concluſiones duæ. Prima eſt: quod quæ corpora ſunt inculpate ſana, nihil malæ materię intra ſe habentia, dum euacuantur medicamento purgante, quod plerumque eſt calidiſſimum, cadunt in ſubitas & præcipites virium & animi defectiones.

Et ratio eſt. Nam in his, cum non adſit materia mala, euacuatur bona & nutritiua, præſertim vero ſpirituoſa, quia

est facilioris resolutionis, ad cuius subitam, & violentam euacuationem, subito deficit illa momentanea nutririo, quæ vires omnes sustentat; unde illę subito defitiunt.
Ex qua conclusione consultum sit practicum, de non purgandis corporibus sanis, minusque purgandis, quæ parum ægrotabunt à pauca materia, aut à facile educibili, quia satis fluida, aut quia sit in loco ad exitum propinquo.

Secunda conclusio est: quod exsoluuntur, si medicamentis purgentur, etiam qui usi sunt prauo cibo. Et ratio est. Nam in istis parum boni spiritus extat, unde illi facilius resoluuntur.

APHOR. XXXVII.

Qui bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

B*Ene se habentes corpore* sunt iidem, quos in præcedenti Aph. dixit salubritatem corporis habere, unde erunt homines inculpatæ sanitatis in illo clarius descripti. *Medicationes* autem sunt operationes à medico factæ, quæ remedia dicuntur: sed præsertim illæ, quæ aguntur καθαρτικῷ à Græcis dicto, & propterea cum eductione materiæ ex aluo. *Ferre* autem, ut alibi dictum, est lædi, sed non destrui, unde facile ferre est parum lædi, difficulter ferre, erit multum lædi.

Conclusio itaque Aph. est quod corpora sana, & pura ex euacuationibus, quæ aguntur medicamento, valde læduntur.

Et ratio est. Nam cum in istis nihil sit mali, quod debeat educi, educitur à medicamento bonum, quod debebat retineri, ad cuius eductionem, corpus propterea læditur. Læsio autem varia est iuxta varietatem loci, unde educitur

bonum

bonum hoc, & iuxta quantitatem. Communis læsio est extenuatio, particularis est exsolutio, adhuc particularior est dolor, & conuulsio, quæ in indebita purgatione subsequitur. Vnde utilis est ista conclusio prout præcedentis Aph.

APHOR. XXXVIII.

Parum deterior potus & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus.

DEterior *parum cibus* erit, qui parum minus aliis nutriet, & in plura excrementa deducetur. Sic & potus. Nã humanus potus non est simplex aqua, sicut est aliis animalibus, sed mixtum quid aqueum. Ita *Melior* erit, qui erit magis nutritiuus, ut insinuatum est in expositione Aphor. XXXVI. *Suauior* autem dicitur, qui sensui gustus magis iucundus. Est autem magis iucundum quodcumq; sensibile, dum maiorem habet proportionem sensitiuã cũ facultate sentiente. Quæ proportio cũ procedat à constitutione tẽperamentali sensibilis agentis, ac sensitiui organi patientis, dimetiri atque inde notificari à priore non potest. Non etenim perueniunt nostræ cognitiones sensitiuę ad ultimas rerum differentias, sed à solo posteriore sequuto effectu dignoscitur. Hæc autem est, non modo ex natura specifica sẽsibilis agentis, & specifica nostra humana sensorii patientis, sed ab indiuiduali agente, & patiente: unde sequitur, quod unum esculentum suaue gustui humano, quoniam iucundum sit plurimis hominibus, sit uni homini horridum, & insuaue, uti est mihi caseus.

Conclusio ideo Aph. erit: quod in alitura, concedenda & usurpãda veniunt potius ea alimenta, siue solida sint, siue liquida, quæ sunt iucundiora, ei qui debet assumere, etiã-

si

si sint minus nutritiua, & plus excrementi productiua, quam alia esculenta. Rationē proponit Gal. quia suauia magis amplexatur, & circū ipsa ad eorum haustum arctatur ventriculus, qui suo tali maiore contactu, per calorem suum est magis concoctiuus. Quæ ratio non sufficit. Siquidem ex hoc sequitur, quod citius concoquantur, non autem quod magis nutriant. Magis autem nutrire est id quod primo requiritur in alimento, cum finis eius primus, & præcipuus sit nutritio. Propterea ego addo pro ratione, quia suauia plus nutriunt insuauibus. Gustus etenim datus est ad faciliorē reddendam alituram, unde ille debebit inclinare in magis nutritiua, & ita suauiora esse, quæ plus nutriunt. Confirmat hoc obseruatio venenorum & medicamentorum, quæ quo plus habent veneficæ, aut medicamentosæ naturæ eo magis insuauia sunt, unde si insuauitas negat nutritionem, suauitas debet eam dare, & per consequens suauius alimentum esse magis nutritiuum. At statim nascitur dubitatio. Tunc enim suauius esset semper melius, quod videtur falsum. Nam Hipp. distinguit hic melius à suauiore: & apparent in opere alimenta maxime nutritiua, & parum suauia, ut panis, & è conuerso multum suauia, ac parum nutritiua, ut fructus. Cui dubitationi respondendū, quod melius alimentum dicitur, quod plerosque homines plus nutrit, suauius vero dicitur quod alicui indiuiduo determinato magis est iucūdum ad gustum. Sic fieri potest ex diuersitate indiuiduali, quod aliquod iucundum gustui sit plurimis, illud tamen mihi iniucundum, ut dixi de caseo, eademque ratione, ut sit nutritiuum plurimis hominum, & non mihi, & sic quod aliquid plus nutrimenti porrigat aliis, mihi vero parum. Et si panis videtur minus suauis, fructus vero suauiores, hoc accidit, quia ex insuetudine fructus magis excitant gustum, unde apparent suauiores, & panis minus

nus excitat, quia est maximi usus, unde eius suauitas nõ obseruatur. Quoniam ergo medicus versatur tanquam artifex circa indiuidua, debet & in eorum alitura non modo quærere, quæ plus nutriant homines, sed quæ plus nutriãt hominem indiuidualiter. Hoc autem cum non possit accipi à priore sed ex appetitu eius, & voluptuosa assumptione, bene dicitur quod alimẽta sunt porrigenda, quæ iucundiora sunt. Cum hac tamen obseruatione, quod si simus in sano homine, in quo appetitus, & sensus non errant, obseruetur consultum: in ægro vero distinguatur, an instrnmẽta gustus, & appetitus sint læsa; tunc enim non nutrient plus, quæ plus erunt suauia; an vero permaneant integra, & non mutata in operationibus suis, quoniam tunc erunt talia facilius propinanda, quæ appetuntur, & sapiunt. Et cum alia obseruatione, ut non multa sit diuersitas ab iis quę plus sapiunt, & iis quæ alios homines plus nutriunt. Erit enim hoc argumentum multum coruptæ naturæ indiuidualis, qualis postea non venit seruanda.

APHOR. XXXIX.

Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus. Qui vero morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

MInus *ægrotare* dicuntur, qui rarius ægrotant. Vnde duę sunt in isto Aph. conclusiones. Prima est: quod utplurimum senes rarius incurrunt ægritudines, quam faciant iuuenes. Secunda est: quod ægritudines, longę quæ senibus accidunt, plerumque nnnquam dimittuut eos, nisi cum morte.

Ratio primæ varia est. Vna, quia corpora senũ, cum sint frigidiora, & sicciora, magis resistunt mutationibus à causis

ſis externis. Alia eſt: quia ſenes conſiſtunt magis in una viuendi ratione; unde minores habent cauſas ægritudinũ. Et alia eſt: quia cum maximus morborũ numerus ſit febris, quæ accenditur ab adaucto calore, & frequenter ab excedente humiditate, ſenes, quia frigidi, & ſicci, magis diſtant ab illa.

Ratio autem, qua morbi longi eos comitentur uſque ad mortem. Prima eſt: quoniã accidunt à diſpoſitione eorum habituali, non ab externo, quæ propterea plerumq; remouibilis non eſt. Secunda eſt. Nã omnes morbi ſenum quos refert etiam Hipp. in Aph. xxxi. Tertiæ Sect. ſunt intemperies frigidæ ſimplices, aut cũ materia tali, aut alii hinc procedentes, propterea non ſolubiles niſi à calore, qui in ſenibus deficit, ſemperque magis defecturus eſt.

APHOR. XL.

Raucedines, & grauedines in valdè ſenibus coctionem non admittunt.

RAucedines quas Græci βράγχος vocant, dicuntur vocis retuſiones, quando vox rauca non ſit amplius acuta, nec ſonora uti prius. Vnde per translationem etiam ſonus alterius rei, quando retuſus eſt, dicitur raucus. Accidit autem retuſio ſoni à remolitione eorum, quæ percuſſa ſonãt; ſicut acuties ſequitur ſiccitatem, & ſoliditatem duritiemque percuſſorum. Ita duo lignea plumbeaue corpora percuſſa reſpectu ferreorum, aut æreorum retuſe ſonant. Ita eadem linita minus acute ſonant, quam deterſa, & exſiccata. Sequitur ergo & vocis humanæ retuſio, quoties caput arteriæ aſperę, quod percutitur ab aere exſpirato remollitum eſt, aut aer percutiens humiditate craſſatus, aut utrũque

que adest. Vnde si destillauerit à capite ad brōchon pituita, aut si euaporauerit eadē à pectore ad ipsum, aut si aer, qui exspiratur fuerit humiditate maiore crassatus, raucessit vox. Causa autē destillationis pituitæ à capite cum sit abundātia eius in illo, & abundet à refrigerato ipso: & euaporatio eius à pectore sit & ipsa ex simili abundantia in eo: sicut conspurcatio maior exspirandi aeris: & utraque à refrigerato, aut pectore ipso, aut corpore subiecto proueniat, unde mutatio vestium solet inducere has raucedines: sequitur, quod raucedines semper procedant à corporis totius, aut pectoris, vel capitis refrigerio. *Grauedines* etiam, quas Græci κορύζας appellant sunt quædam capitis grauitates, prout verbum Latinum innuit, præcipue circa frontem, oculos, & aures, unde & illæ sonant, tussis oritur, & sternutamenta, nihilque à naribus effluit, quousque facta concoctione materiæ morbus declinare incipiat. Vt propterea veniāt & ipsę ex materia in capite præter debitū collecta: quæ frequenter colligitur, dum à refrigerato ex aliquo accidente capite euaporatio, quæ tanquam per caminū à foco à subiectis partibus ad ipsum effertur, frigore conclusa non resoluitur, sed in humorem concrescit. Vnde & affectus iste importat capitis refrigeriū. *Valde senes*, vero quod sint ultimi, quos Auic. & uulgus, decrepitos appellat, & per consequens minimi caloris homines, satis est per se notum. *Coctio* autem, quod sit perfectio à calore nostro in materiebus alimētalibus, data eis ultima dispositione, & situ etiam ad conuersionē in substantiam nostram; in materiebus vero nutritioni ineptis, data eis substantia & loco aptis excretioni, dictum est in Aph. XXII. Primi Lib.

Conclusio ergo est: quod materiæ quæ reddunt raucas voces, aut caput grauant in decrepitis non tolluntur: unde illi ab affectionibus inde prouenientibus non euadunt.

Et ratio est: quia sunt affectus frigidi, qui calore deben vinci. Decrepiti autem cum omnino deficiant in eo, illo vincere non possunt: unde accipitur hoc etiam de cæteris morbis frigidis in ætate ista.

APHOR. XLI.

Qui frequenter ac fortiter absque causa manifesta exsoluuntur derepente moriuntur.

EXsoluuntur, ut dictum est, in Aph. XXXVI. qui repente perdunt sensus, & motum: unde dicuntur animo deficere, sicut hic affectus Græci λυποθυμία, & σύνκοπη, Latine vero, animi deliquiũ dicitur. *Absque causa manifesta* autẽ, qui sine euacuatione sẽsibili sanguinis, aut alterius humoris, alicubi sequuta, aut insensibili, ex labore, inedia, dolore corporis, aut animi, in quibus omnibus casibus exsoluuntur repente vires, quia deficit cordi repente sanguis, unde generet spiritus eos, quibus ab illo iugiter & momento participatis toti corpori, seruantur vires omnes sensitiuæ, & motiuæ in eo. Sequitur autem repentina priuatio hęc spiritus à corde aliquando non deficiente sanguine, si ab inguente in illud cõfertim aliqua materia premetur: siue venerit hæc à ventriculo, ut in dolore superni oris eius; siue ab utero, ut in suffocatione uterina; siue ab alia parte, prout sequitur in omni ruptura abscessus interni; siue sub forma humorosa, eaque magis, aut minus crassa; siue sub forma flatuosa. *Frequens* modo erit, quando datis breuibus interuallis repetet: quod accidet, quia materia aderit plurima, & magna cordis debilitas, quæ resistere non possit. *Fortiter* vero dicetur fieri exsolutio, quando cũ perditione totali sensuum externorum, & internorum, unde rediens,

ac

ac veluti reuiuiſcens patiens neſciat, quid ſibi contigerit; *Repente mori* demum dicuntur, qui abſque ulla præcedente ſenſibili ęgritudine, ſenſibus, & motibus momento perditis, non amplius reuiuiſcunt, ſicut & omni alia operatione animæ.

Concluſio itaque eſt: quod qui ſine ulla ſenſibili, aut inſenſibili euacuatione propoſita, repente perdunt omnes ſenſus, & motus, & reuiuiſcentes redeunt in eaſdem perditiones pluries, & cum breuibus interuallis, aliquando perdunt omnes etiam alias animę operationes, ut non amplius reuiuiſcant.

Ratio in aperto eſt: quia importatur à frequentia affectus imbecillitas principii vitalis, & à fortitudine magnitudo cauſæ, & ab eſſe ſine cauſa manifeſta, quod ſit à materia ſuffocante, unde non poteſt ſperari, niſi ultimus effectus ſuffocationis, & citus, qui dicitur repentina mors.

APHOR. XLII.

Soluere Apoplexiam quidem fortem impoſſibile: debilem vero, non facile.

APoplexiam, dicebant Græci morbum, quem Latini poſteà dixerunt Atonitum, cum in eo affectis corpus, & mens ſtupeat, repente perdito omni ſenſu, & motu, reſpirationeque nunquam ex toto integra, ſed aliquãdo ad apparentiam omnino deperdita. Cuius cauſam vult Gal. eſſe craſſam materiam implentem cerebrum, aut ſaltem ventriculos eius, unde prohibeatur ſpiritus, & virtutis animalis ſenſitiuæ ſcilicet, & motiuæ, ad ſubiectas partes influxus. Quam opinionem concepit ille, & concludunt ſequaces, ex eo quod accidit apoplexia frequen-

tius, præcedente dolore capitis grauatiuo: & ex eo, quod succedit sæpe è refrigerato capite: ac eo, quod inducitur percusso eodem: & quia eam inducant quæcumque caput replere videntur, uti est somnus meridianus, vinum generosũ, crapula, & opiata remedia: sed magis, ex eo, quod leuatur calefacientibus capiti applicitis: & tandem quia distinguitur à syncope cordis. Nã in apoplexia non erumpit sudor, prout in syncope, & difficilis redditur respiratio, quę in syncope remanet illæsa.

Quam tamen opinionem redarguit, Primo natura cerebri omnium frigidissima, ac proinde prorsus inepta generationi spirituum, qui cum sint substantiæ omnium tenuissimæ, non nisi à calore summo, qualis est in corde, possunt generari: unde si non possunt venire à cerebro spiritus, nec potest ex læsione eius inferioribus partibus denegari. Denegatur autem in apoplexia, ut cuique confessum. Secundo, quod in apoplexia apparent manifestè lesa, quæ in pectore sunt. Nã difficilis redditur respiratio, cõstante motu musculorum pectoris; unde læsis pulmonibus, qui circum cor extant. Hinc Incubus, in quo sentitur in somno veluti premi pectus, est prodroma apoplexiæ passio. Tertio, quod venit cum repentina obmutescentia, indeque repentinam etiam mortem inducit. Obmutescentiæ autem subitæ fiunt ex interceptione, & occlusione venarũ, à principio suo venientium: quales sũt, quæ veniunt à corde, & prope ipsum sunt, & ab hac interceptione fieri obmutescẽtias repentinas, explicauit etiam Hip. in tex. XXIII. Libri Quarti, de Ratione Victus in acutis. Sic & mortes repentinæ non possunt succedere, nisi læso primum, & primo vitę principio, quod est cor, prout cognouit idem Hipp. qui in Aph. XII. Tertii Lib. dixit, in cõstitutionibus hiemali, austrina, vernaq; succedente boreali fieri in senioribus destillationes

tiones, quæ cito interiment, & in lib de Aere, aqua, & locis dixit valde ſenibus propter raritatem, & venarum colliquationem accidere deſtillationes; quæ quoſdam repente interimant, quoſdam vero dextra, aut ſiniſtra parte ſtupidos reddunt. Vnde Gal. in commentario admonet Hip. per deſtillationes non intelligere ſolas eas, quæ per aſperam arteriam fiunt, ſed omnes, quæ fiunt per venas à capite ad ſubiectas partes. iſtæ enim cito interimunt. Quarto: quod & Galenus expreſſis verbis in Lib. de Ratione curandi per Sanguinis miſſionem tex. VI dixit, apoplexias fieri à nimio ſanguine confertin in principium animantis incumbente: principium autem animantis verum, & primum eſt cor, nõ cerebrum; & in cor poteſt decumbere facile, ac repente nimius ſanguis per venas magnas cum ipſo continuatas, per quas iugiter ſolet idem ingredi, & egredi, licet in moderata quantitate, ad perfectionem, & ſpiritu, ficationem ſuſcipiendam. In cerebro autem cum neque ſint magnæ venæ, neque cauitates ſanguinis naturaliter receptiuæ, nõ eſt rationalis iſte ſanguinis propoſitus in apoplexia decubitus. Quibus argumentis adiungitur, vulgi opinio dicentis, apoplecticos mori ex gutta ſupra cor illapſa, unde Itali vocant apeplexiam, *mal della goccia*, & addatur quod ſi non extingueretur ab illabente materia caloris principium cor, ſed illa conſiſteret in cerebro, non eſſet apoplexia incurabilis, aut difficilis adeo curationis. Nã calor cordis impetum reiterando in cerebrũ, poſſet illam diſoluere.

Apoplexia itaq; credatur obſtructio ventriculorum cordis, facta aliquando à ſanguine bono, ſed nimio, repente, & confertim eo decumbente: frequentius tamen ab eodẽ craſſiore reddito, per admiſtionem pituitæ ex refrigerato cerebro in ipsũ illapſę, prout confirmabitur in Aph. XXIII. Libri Tertii, ac LVI. Sexti, & LX. Septimi.

Nec

Nec momentum faciant quæ deduxerunt Gal. & sequaces in illam opinionem. Nam dolor capitis aliquando precedens, & refrigeratio eiusdem, sicut vinum, crapula, & potio narcotica possunt esse causa, & signum materiæ in crassatæ in cerebro, nõ tamen oppilationis eius; quia sunt præcedentes, & non coniuncta accidentia, quinimmo quia præcedunt, importãt inibi nõ fieri apoplecticam oppilationem. Nec irresolubile est argumentum de contusione cerebri, qua & animalia concidunt in subitam mortẽ. Ex ea.n. reprimitur in inferiora materia, quæ aut eodẽ modo oppilat, quo & destillatio penetrans, aut per modũ extrinsecũ cõprimẽtis, prout percussæ, aut ligatæ carotides faciunt repẽtè corruere animal. Contusio ergo cerebri est causa opilationis in inferioribus locis, & inde sequitur apoplexia. Minimumque valet argumentum ductum à iuuamento calefacientium capiti admotorum. Nam hoc sequitur, quia ex atteuuatione, quæ inde fit in cerebro euocatur materia à subiectis, eo modo, quo inducitur subiecta materia in cucurbita, cuius aer fuit igne attenuatus. Nec ex eo quod in syncope accidat sudor sine difficultate respirationis, in apoplexia vero contrariũ, concludi debet diuersa pars affici; cum hoc possit prouenire à diuersitate materiæ, & modi affectionis, utpote quod in syncope materia sit potius fumosa, & nõ oppilet, sed digerat spiritum, & exsoluat: unde ex exsolutione sequatur sudor; nec fiat violenta suffocatio, neque difficilis reddatur anhelitus. In apoplexia autem materia suffocat oppilãdo cauitates viarum primarum spiritus, & propterea non accidit sudor, sed premitur respiratio. *Fortis* autem erit ultimi gradus; & cum dignotio eius ab aliis exsolutionibus sit per lęsionẽ respirationis, quæ aliquãdo ita perditur, ut nõ cognoscatur nisi ingenio; quale est speculum ori appositũ, quod inficitur rore, aut floccus

go-

gossypii, quod cōcutitur; aliquando vero adest, sed cū stertore maiore postea aut minore. Fortis erit in qua respiratio saltem ad sensum sine artificio ingenioso videtur perdita, & quando venerit cum spuma circa os. *Debilis* autem in qua non perdita, sed deprauata & sine spuma.

Erit ergo conclusio Prima: quod perditio repentina sensus, & motus ac apparētis respirationis, aut saltem cū spuma circa os est curatu impossibilis. Altera vero, quod perditio repentina sensus, & motus omnis cum læsione etiam respirationis, raro, & cum labore curatur.

Ratio primæ conclusionis est: quia suffocata respiratione, extinguitur breuissime calor, qui est principium omnis curationis, quique præsertim debet esse resolutiuus materiæ suffocantis, quæ si esset longe à principio, posset ab illo expanso, & non suffocato resolui. In forti enim apoplexia dum materia obstruit omnino principium caloris, ille nō potest procedere ad proximos pulmones attollēdos, & ampliandos pro respiratione, & ad euentandum marcorem, qui ab ipso in semetipsum introducitur.

Ratio secundæ est: quia cum debilis differat à forti in sola remissione, differt etiam in sola desperatione, sed propter similes causas habebit difficilem resolutionem.

Vtilitas Aph. est ad prædictionem, sed meæ expositionis est ad exquisitiorem curatiuam intentionem. Si etenim erit debilis facta à sanguine nimio, erit intentio reuelendi à corde, & deriuandi illū ab eo ad magnas venas, iis apertis. Propterea primo magis remotis, uti sunt saphenę, & basilicę, seu mediæ; deinde etiā iugularibus quę sunt aliis cordi proximiores, si aperiri poterunt, non multū tunc curata cerebri resolutione, nisi in quātum iuuatura sit ad distrahendum sanguinem circa cor nimium obsistentem. Si vero erit ab illapsa pituita à cerebro, eaque credatur sangui-

nis

nis particeps, seccandæ solæ cephalicæ, aut iugulares, ut cum euacuatione fiat reuulsio ad eum locum, à quo facta est effluxio, & cum ista intentione iuuabunt magis à principio attenuantia calida capiti, ut reuocent materiam, & calefaciendo tolant frigiditatem capitis, quæ fuit causa prima morbi, dum fuit causa multiplicationis, & crassationis pituitæ in eo. Verum quoniam difficilius est reducere ad superiora, quod crassatum suo pondere vergit ad inferius, ideo præter proposita, est procuranda attenuatio circum cor, quæ procurabitur, aucto circa ipsum calore, ut propterea sanguinis missio, cum refrigeret in casu isto, est suspecta: maximeque exitialis, si materia erit prorsus pituitosa, & crassa: & hic est casus, quam innuebat Celsus, quãdo dixit, quod venæ sectio occidit, sicut illa, quæ venit à sanguine, non à destillatione cerebri, est ille casus, in quo idem dicebat, venæ sectionem liberare. Erunt ergo attenuantia, & resoluentia adhibenda etiam pectori ipsi, ut inde auctus calor materiam attenuet, & à se discutiat.

APHOR. XLIII.

Qui strangulantur, ac dissoluuntur, nondum vero mortui sunt, non referuntur quibus spuma circa os fuerit.

LIcet plurimi cum Gal. immo cum Celso, per eos, *Qui strangulantur* intelligant, & acipiant solos eos, qui laqueo in suspendio, aut sine suspendio suffocati extinguuntur. Ego qui non credam Hip., adeo exilia esse prosequutum in suis documentis, cum rari sint, fuerintque semper, qui à suspendio damnati fuerint relati ad vitam, paucique etiã, qui desperatione suspensi fuerint inuenti nondũ mortui. Nã damnatio ad suspendium semper est morti destina-

ta

ta; & quod desperatione actum est suspendium, semper est actum occulte, ut primo sit sequuta mors, quam publicatio. Existimo, per eos qui strangulantur voluisse innuere etiam illos, qui à morbo perdunt respirationem. Nam respirationis perditio, strangulatio dicitur ex eo, quod respiratio est per apertam gulam. Qui autem impedita respiratione suffocãtur, sunt duplicis differentiæ. Quidã enim suffocantur, non perdito sensu, nec motu, immo maxime se torquentes in suffocatione, ut qui angina laborant, qui submerguntur in aqua, quiq; ingerunt in arteria aliquod crassum deglutibile, & qui laqueo cũ suspẽdio, aut sine eo, ceruicibus, colloq; torquentur. Alii vero perdito sensu, & motu quouis, ut qui apoplexia corripiuntur. Differunt autem isti ab illis, in loco præsertim, & modo aliquando suffocationis. Nam suffocatio accidit, quoties fuliginosus calor per pulmones, & arteriam asperam expirare non potest, tũc enim marcessit, & extinguitur, quomodo & ignis accensus in vase, dum operitur, & prohibetur ei spiritus, occluso omni spiramine. Non potest autẽ expirari, si claudatur extremitas arteriæ asperæ, prout clauditur ab apostemate anginoso, & circumdata extrinsecus à laqueo, aut ab aqua in submersione, eo ingrediente; sicut ab aliquo assumpto illuc pręter rationem deglutitionis illapso, ut cõtigit Anacreonti poetæ lyrico, ex vuæ acino, & me videntе rusticæ cuidam comedenti carnem bubulam tendinosam. Et perditur respiratio, si occlusio fiat in profunditate pulmonũ, prope aut in cor, quod est principiũ respirationis, prout accidit in apoplexia. Hinc volens utramque hanc suffocationis differentiam innuere, duo adhibuit Hipp. vocabula. Primum *Strangulatorum*, quo intellexit qui suffocãtur ex impedimento spiritus gulæ contingente, ut est submersio, illapsus per os in arteriam alicuius rei solidę, nõ

ſpirituoſæ, apoſtema faucium, aut laqueus, aliudue extrinſecus comprimens gulam, & obſtruens. Alterum vero *Diſſolutorum*, quo comprehendit ſuffocatos ab apoplexia. Iſti etenim, & ſuffocantur, & diſſoluuntur, dum cum impedita reſpiratione perdunt ſenſum, & motum. *Referri* autem bene conuertitur, à Celſo ad vitam redire. Nam ſicut mortui antiquitus extra urbem maxima ex parte ad tumulum ferebantur, & noſtris temporibus extra domum. ideo verbum hoc *Efferri*, dicebatur præſertim de illis. Ita iſtud referri eſt à deſtinato tumulo, & propterea à morte ad vitam. *Spuma* autem eſt congregatio bullarum, & ampullarum; bullæq;, & ampullę fiunt ab aere congregato in viſciditate aquea. Sic pueri cõmiſto pauxillo ſapone in aqua intingentes caput unum fiſtulæ, indeque ex altero exſufflantes bullam excitant, quæ facilius accidit, ſi aqua plus habeat ſaponis, unde plus habebit etiam lentoris, quo magis poſſit circumdare ſpiritum inſufflatum, & ſpiritus ſit leuiter impulſus.

Concluſio itaque Aph. eſt: quod qui ſuffocantur ex aliquo impedimento gulæ, & qui cum diſſolutione apopletica, non reducuntur ad vitam, quando in illius ſuffocationis actu deuenerint ad ſpumam circa os.

Ratio eſt inquit Gal. Nam ſpuma ſignificat colliquatam ſubſtantiam pulmonum, quæ aere egrediente cõmixta redigatur in bullas. Addo & ego, ſignificat imbecillitatẽ ſpiritus, qui non poteſt amplius impetuoſè efferri, nec ab humiditate detineri.

APHOR. XLIV.

Qui natura admodum craſſi ſunt, citius intereunt, quàm qui graciles.

Craſſi

CRassi dicuntur, qui sunt extensi in sola latitudine plus quam conueniat proportioni longitudinis: quod accidit ex abundantia præcipue pinguedinis. *Admodum* autem tales, qui excedunt alios in genere isto. *Natura*, qui à principio sui interno sine artificio tales existunt. *Graciles* ergo in contrarium erunt, quorum longitudo excedit proportionem latitudinis, ex defectu præsertim pinguedinis.

Conclusio itaque Aph. est: quod pingues à natura, pauco tempore viuunt: Macri vero sunt plus longæui.

Ratio est. Nam pinguedo generatur à frigidiore temperamento: quia crescit in frigidis, & liquatur à calido. Vnde & ipsũ arguit. Refrigerat etiam corpus, quãdo valde crescit. nam comprimit venas, indeque minuit sanguinem: unde corpora pinguia, cum sint frigidiora, minus viuunt, & adhuc minus, quando humida, quia abundant excrementis, à quibus facilis putredo, & inde accidentalis mors: sed & suffocat humiditas illa calorem, ex quo acceleratur etiã mors naturalis. Quam doctrinam recepit, & retulit etiã Arist. in Lib. II. de Partibus Animaliũ, Quinto, dicens quod pinguia minus sanguinis habent, ut propterea sunt frigidiora macris, ac inde citius senescunt, & moriuntur.

APHOR. XLV.

Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur.

MOrbus *comitialis* quia frequentior in comitiis, & in omni populari conuentu, à Græcis ἐπιλεπτοία dictus, est affectio similis apoplexiæ, quia in eo amittitur sensus, & motus voluntarius, vt propterea qui incidunt in illum, saltem titubent in motu, sed plerumque cadant: unde di-

citur etiã morbus caducus: lęditur & respiratio, spumescit utplurimum os. Differt autem, quia est cum conuulsione, saltem alicuius partis: non durat per horam, & habet circuitus. Quorum accidentium, duo prima procedunt à materia, quæ circum cor obstructionem facit, quæ in epilepsia est potius flatuosa: unde nec omnino obstruit, ut non irrumpat per eam aliquid spiritus, qui iugiter, & sensim, ac æqualiter debebat in totum procedere, qui propterea irrumpens cum impetu in aliquam solam partem eius, facit motum violentum & conuulsorium. Hinc succedit breuitas etiam affectus. Nam materia talis facile à calore resoluitur. Redit autem affectus, quia prouenit à mala temperie, aut conformatione totius, aut alicuius partis habituata, sicut & debilitate præsertim cordis, unde tempore congregatur materia flatuosa, quæ recepta in cor reducit affectionem.

Est itaq; cõclusio: quod qui iuuenes repente titubant in motu, aut cadunt couuulsi sine sensu, & motu, cum læsa aliqualiter respiratione, & spuma circa os, liberantur omnino, ut nunquam amplius recidant, succedente ætate virili, aut mutato anni tempore, aut loco, aut victus ratione.

Ratio, qua mutatio adolescentiæ in adultam ætatẽ hoc faciat, est quoniam morbus accidit ab abundantia humiditatis, quæ secundum partem tenuiorem & flatuosam potest facile ingurgitari in principium, puta cor, quæ succedente virilitate demitur; ubi corpus totũ siccius redditur: quinimo, & succedẽte aliqua euacuatione, sicut seminis, aut sanguinis cessat, prout declarabitur in Aph. VII. Quintæ Sect.

Ratio autem, qua mutatio temporum hoc idem præstet, licet hoc maxime respondeat succedenti ęstati, est propter resolutionem, quam efficit ab hieme, quæ multiplicauit humiditates ad intra.

Ra-

Ratio autèm communis mutationis temporis, loci, & victus rationis est: quoniam cum morbus accidat à qualitate humorum, & materiæ ad nutritionē destinatæ, in principium irruentis, & à singulo propositorum diuersificentur, & materiæ assumptorum pro nutritione, & temperamentum principij nutritiui, potest etiam diuersificari circa ipsum effectus.

APHOR. XLVI.

Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.

SEnsus tactus (in quo solo videtur esse dolor, quia, cum sit primus, intensior est aliis) cum sit plurium differentiarum, scilicet qualitatum primarum, & secundarum, potest propterea esse dolorosus, & dolor multiplex in una, & eadem minima particula, ut in casu obiecti sua duritie molesti, & sua etiam caliditate infensi. Tunc enim facta receptione improportionatæ duritiei est dolor unus, & facta receptione improportionatæ caliditatis est dolor alius, nā alius est tactus calidi & frigidi, alius duri & mollis. Sic obiectum aliquod erit dolorosum duplici qualitate, a qua singula cū afficiatur sensitiua potentia diuerso modo, duplex excitabitur in eadē parte dolor. Vnde male Gal. per *Vnum eundemque Locum* negat, intelligendam unam, & eandem, etiam minimam nostri corporis particulam. sed vult accipiendum unum membrum, veluti brachium, vel cubitum, femur, aut tibiam, in quorum vna parte, aut superiore, aut inferiore, fit unus dolor, in alia alter. *Maior* autē & *Minor* dolor sequitur, iuxta maiorem improportionem qualitatis tangibilis. Nam magnitudo hæc, aut paruitas est accipienda

cipienda in genere dolorifico, seu sensitiuo; non autem in dimensione maiore, aut minore substantiæ sensitiuæ, quæ dolorem percipit. Nam sic in una, & eadem minima particula poterunt existere eodem tempore dolor maior, & dolor alius minor: maior in una qualitate, quia sit illa magis improportionata virtuti tactiuæ; minor in altera, & alterius differentiæ; quia illa sit minus improportionata. Vt si erit illata punctura à gladio ignito. cum enim alius sit sẽsus acuti, & alius sit calidi, fieri potest quod dolor ex acutie sit maior, quia acuties gladii sit magis improportionata, & dolor à caliditate eius sit minor, quoniam caliditas illa minus distet à proportionata caliditate, quam acuties proposita proportionata acutie. *Obscurare* autem proprie dicitur de *Reddere* res inuisibiles. Obscuritas enim est priuatio illius luminis, quod actuando medium reddit obiecta visibilia. Vsualiter tamen sumitur pro impedimento cuiusuis sensationis, & præsertim internæ, quæ est externarum sensationum, & in isto sensu accipitur nunc. Nam sermo est de sensationibus quæ sunt dolores; non de sensibilibus, quæ sunt causæ doloris, cũ dicat textus *Duobus doloribus*, non autem duobus dolorificis. unde obscuratio erit priuatio sensationis in sensu posteriore à sensibus externis particularibus phantasia scilicet, cuius sensatio est receptio non sensibilium, sed sensationum, & si sensibiliũ eorum iam sentitorum, & non sub ea forma, qua venerunt ad sensus particulares, sed sub ea qua sentiti & recepti sunt, quæ sensatio ut dictum est in Aph. VI potius appellatur obseruatio. Et ita etiam male Gal. declarat maiorem dolorem impedire minorem distrahendo à parte minus dolente spiritum, eamque modo isto reddendo stupidam & non sentientem. Tunc enim tolleretur dolor, sed nõ tolleretur eius dignotio. Dolor autem non tollitur, quia supponitur

nitur adesse, & non sentiri. Et quod dolor non tollatur, apparet ex eo, quod si adigatur aliud obiectum ei loco, qui minus dolebat, adhuc plus dolorificum, immediate momento temporis fiet sensus eius & dolor.

Vt propterea conclusio sit: quod duobus illatis, etiam ab uno corpore, in eandem minimam particulam nostri sẽsitiuam doloribus, à duplici qualitate tangibili, maior nõ permittit obseruari minorem. Quę conclusio adhuc magis est de duobus doloribus in varia parte corporis externa, aut interna illatis.

Ratio autem est. Nam maius sensibile, cum operetur in sensum, plus afficit sensitiuam potentiam: unde eam determinat modo suo, quia communis est, & ita sensationem alterius excludit. Hoc declarant qui imaginationem fixerint in ecstasi, qui nec tangibilia in tactũ agẽtia, nec visibilia in visum recipiunt, sicut nulla alia sensibilia externa, nec interna.

APHOR. XLVII.

Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm iam confecto.

PVS est corpus fluidum à calore concoctiuo ex substantia aliqua nostri corporis, molli atq; viuente corrupta constitutum. Non enim solidæ partes osseę & cartilagineæ corruptæ unquam in pus vertuntur, nec humores intra venas ulla corruptione ad pus rediguntur. Generatur ergo illud, dum substantia viuentis corrupta secernitur à bona & reducitur de consistentia ad fluorem. Quod fieri non potest nisi à multo calore, & humiditate. Vnde quæ putrefacientia medicamenta vocantur, humectando, & obstruendo

do meatus externos partis, in qua sequuta est corruptio, firmato calore, qui solebat exspirare, eoq; sic multiplicato reddunt facilem puris generationem. Hinc patet, quod nouus, & excedens calor inditur parti viuenti, à qua secerni debet materia corrupta, & pus generari, qui calor sic dissentaneus, & improportionatus, est facultati sensitiuæ dolorosus. Est itaq; conclusio, quod dum corrumpitur substantia viuens in pus, crescunt febris, & dolor.

Et Ratio est. Nam crescit dolor, dum calore nimio seccernitur pars substantiæ viuentis, corrupta à sana; dumq; crescit dolor & calor, debet crescere febris, quæ est excessiuus calor.

APHOR. XLIIX.

In omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies statim lassitudine aufert.

QVod *Lassitudo* sit sensus cuiusdam grauitatis artuum ex imbecillitate facultatis motiuę illorum, sequuta plerumq; à resolutione nimia eorum substantiæ, aliquando ab humore malo aut sanguine nimio facultatem grauante, declaratum est in Aph. v. huius Lib. Quod etiam *Laborare* sit exerceri usque ad inductionem dictæ lassitudinis, patuit in Aph. 1. huius Libri.

Erit itaque huius Aph. conclusio: quod quies statim aufert sensum grauitatis artuum inductum à nimio exercitio.

Et ratio est: non quia quies per se reponat, & reficiat substantiã artuum nimio labore resolutam, ad cuius deficientiam defficit virtus motiua. Sed quia cum iugis fiat in corpore refectio, præsertim partium externarum, quæ in sua resolutione trahunt ab internis materiam refectionis iam in ventre, & venis magnis, tanquam in penu asseruatam

ad

ad nutritionem) sequitur non prosequente labore resolutiuo, ut artus reficiantur, & tollatur lassitudo.

Monuit autem hoc forsan, ut ostenderet facilitatem remedii, & superfluitatem aliorum, quæ in lassitudinibus laboriosis usurpabant Antiqui: uti erat balneum tepidum, & inunctio, quorum primo humectabant quidem artus, sed & nutrimentum atrahebant, oleo vero humectabāt, & oppilatione inducta progressum resolutionis impedire curabant.

APHOR. XLIX.

Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerunt imbecilles, & senes, non consuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt.

CONsueti labores *solitos ferre* sunt, qui pluries usi eodem exercitio, & à lassitudine inde recepta se facile refecerunt: *Debiles* autem, qui in motu voluntario parum valent, præsertim natura, licet possint etiam accipi ex morbo, ætate, & alio acidente debilitati. *Fortiores* vero, qui in motiua facultate valent, & robusti dicuntur. Consistit autem virium motiuarum robur, in multitudine substantiæ præsertim carnosæ ac neruosæ, quæ musculosa dicitur. Hęc etenim ad motum est destinata. Hinc exercitati Antiquorum, de quibus in tertio Aph. Primæ Sectionis, non modo multis alimentis, quæ multum substantiæ generant, sed frictione, & unctione corporis, quæ ad partes musculosas alimenta trahunt, & concoquunt in carnē, virium robur procurabant. Vnde sicut bene carnosi sunt fortiores in exercitiis, ita excarnes sunt debiles.

Conclusio itaque Aph. est: quod in omni exercitio, qui frequenter utuntur illo, minus consumuntur ab eo, faci-

lius qui reficiuntur, quam qui non sunt usi, etiamsi fuerint illi excarnes & debiles ex natura, aut aliquo accidēte, vel ætate senili, quam robustiores natura, aut ætate, qui eo raro, aut nunquam sunt usi.

Ratio autem procedit ex eo, quod partes exercitatæ sunt ab exercitio roboratæ. Nam motus calefacit, & inde trahit, & concoquit plus alimenti in parte exercitata. Quapropter si fuerint etiam debiles homines secundum reliquum corporis, ex natura, accidente, aut ætate, erunt tamen secundum partes in illo exercitio usurpatas fortiores. Sic viatores, & saltatores senes itineribus & saltui cōstant plus, quam remiges iuuenes; sicut contra minime constarent remigio: & urbani iuuenes sedentarii quocumque exercitio laxantur, rustici vero, & laboriosi minime. Et si exercitio etiam resoluantur partes fatigatæ plus aliis, plus etiam aliis trahunt sibi de nutrimento pro refectione, & natura totius à continuata ista maiore partium exercitatarum tractione, inclinata transmittit eis plus quam aliis, unde etiam plus roborantur. Quod autem exercitium trahat ad partem exercitatam, monstrant laboriosi homines qui sunt magis musculosi, quam sedentarii, & manus dextra quæ est maior sinistra.

APHOR. L.

Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minùs molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.

LOngo tempore consueta, sicut & *Insueta* debent esse aliqua, quæ sint homini usualia, quorum ea quæ sunt raro usurpata, dicantur insueta: quæ vero frequenter vsitata, vocentur longo tempore consueta. Sunt autem hæc quæcumque

que ad humanam vitam necessario concurrunt, ut aer. Ille enim sub quo quis habitat, est ei consuetus, sicut alter ab eo distans, insuetus. Ita cibus, & potus, quorum qui frequenter assumitur dicetur consuetus; qui raro, aut nunquã, insuetus. Sic exercitium, & quies, aliud & alia, quia frequentata consueta vocantur; alterum vero, & altera, quia missa, insueta. Et hoc est etiam in omni, & quauis corporis euacuatione. quarũ illa dicetur consueta, quæ alias, & pluries successit; illa insueta, quæ fere nunquam. Sic & somnus atque vigilia, alius alicui consuetus, quia crebro contigerit; alteri insuetus, quia raro. Demum & animæ operationes ita se habent. Ira etenim, & gaudium consueta quando frequentia; insueta, quando raro contingentia, prout & reliquæ animi passiones. *Deteriora* autem sunt idem, ac magis nocua, & offensiua. Nocua autem cũ debeant referri, non sunt accipienda relata ei cui considerantur esse insueta. certum enim est, quod sic accepta, erunt ei molesta, ut de eis non possit dicere Hipp. quod minus molestare solent. Sunt ergo intelligenda deteriora, & nocua plurimis hominibus.

Duæ itaque conclusiones sunt in hoc Aph. vna theorica, quæ est: quod quæcumque sunt de ratione victus in homine, etsi essent plurimis hominibus offensiua, quando erunt alicui usitata, reddentur ei minus offensiua, quam ea, quæ sunt minus offensiua plurimis, quando erunt inusitata illi. Altera conclusio est: quod debet homo semper mutare, quę sunt de ratione sui victus, ut inde assuescat omnibus, & nihil ei hac de causa in usu restet, quod molestiã facere possit.

Ratio primæ conclusionis est: nam quod sæpe succedit in nobis, facit habitum, id est qualitatem difficile mobilem: quæ propterea est quædam natura similis cum ea, unde processit, ut propterea, eiusdem repetitus usus; etiamsi nõ sit

cum specifica bonitate, respectu indiuidui, in quo est, redditum simile non molestat, cum molestia nascatur à diuerso, & contrario. Experimenta plura confirmant hanc cõclusionem, sed inter ea illud propositum à Gal. puellę, quę sensim assueuit esui napeli sine læsione, cum tamen ipse sit humanæ naturæ deterior, & exitialis.

Ratio secundæ conclusionis est: ut contracta aliqua similitudine cum omnibus, & singulis iis, quæ necessario, aut fere necessario, vel facile nobis occurrere possunt, nõ molestemur, nec patiamur ab aliquo. Et aliam addit Celsus in primo de Re Medica cap. 1. ut scilicet habeamus, quo confugiamus tanquam ad remediũ tempore morbi. Vnde clarius apparet, consuetudinem esse ineundam, cum iis quę sunt de ratione victus, non cum medicamentis. Quia ista fugere possumus, & ab eis nouitatem nostri volumus: priora vero sunt ineuitabilia, & conseruari per ea intendimus. Hinc concluditur, quod etiam fuit tactum in Aph. v. Primę Sectionis, viuendi rationem angustam seu exquisitam esse fugiendam.

APHOR. LI.

Plurimum atque repentè euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam omne nimium est naturæ inimicum: sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum quum ab altero ad alterum transitus fit.

EVacuare quod sit materiam è corpore ducere ex se patet, & alibi declaratum est. Sic & *Replere* quod sit materiam corpori adiicere, similiter *Calefacere*, & *Refrigerare*, quod sit aliquod mutare secundum has qualitates, sicut *A-*

lio

lio quouis modo corpus mouere sit alterare in aliqua alia qualitate primarum, aut secundarum, & mouere de parte corporis ad aliam, quod dicitur euocare & repellere. *Plurimum* autem intelligitur fere ad ultimum gradum in suis generibus. *Repente* demum dicitur, quod sine premisso principio sequitur totum simul. *Paulatim* dicitur quod sequitur per gradus interposita quiete inter eos.

Sunt ergo conclusiones duæ, Prima est: quod omnis mutatio corporis desiderata sit alteratiua per gradus. Secunda est, quod facta confertim de primo ad penultimum potest finire in malum.

Ratio autem, utrique conclusioni communis est: quod inter similiora, facilior est conuersio cum parum sit inibi contrarium tollendum, similiora autem sunt, quæ paucioribus gradibus distant, unde secundus gradus minimum distat à primo, at penultimus maxime distat.

Dubitationem tamen habet conclusio. Nam quod est à corpore tollendum, ideo est tollendum, quia officit illi. Quo ergo serius, & magis lēte tolletur pluri tempore permitetur officere. sed hoc est præter medicā intentionem, quæ est iuuandi. Responsio autem est: quod unumquodq; tollendum, etsi officiat, in aliquo iuuat propter sui factum habitum, & propter habere aliquid bonum. Sic aqua in hydropico, dum calorem viuentis percepit, ipsumque in corpus reflectit, isto titulo iuuat. unde tota simul non educitur, nisi cum morte. Et qualitatum excessus, dum sunt tempore habituati, habent quid naturalis; cum habitus, seu consuetudo sit qualitas fixa ad modum naturæ, ut dictum est in præcedenti.

APH.

APHOR. LII.

Omnia secundum rationem facienti si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est.

FAcere *secundum rationem*, est quodcumque procedit ab homine, dum agat discursu. Sed facere, quod consideratur ab Hip. in his sermonibus non potest esse aliud, quam pro salute circa hominum corpus. Quod cum veniat ipsi medico aliquando conseruandum in sanitate, frequentius vero curandum ab ægritudine, ut pro ista remouenda, & illa conseruanda possit operari cum ratione, indiget cognitione sanitatis & ęgritudinis, pro quibus debet agere, & remediorum, quibus debet uti in opere suo. operatio enim rationalis est scientifica, & propterea cum cognitione rei ex causa sua, aut ex effectu. Cognitio autē eius quid sit sanitas, & morbus, cum eæ sint dispositiones, seu qualitates corporis viuentis, supponit cognitionem eius, quid sit corpus viuens: sicut cognitio remediorum, cū sint operationes procedentes à medico in corpus, non potest haberi, nisi obseruata natura illius operationis, & instrumenti, quo illa perficitur. Operatio enim cum sit communis, determinatur à subiecto, in quod recipitur, & instrumento quo perficitur. Dignoscitur autem natura hæc, aut à priore ex cognitione causæ rerum, aut à posteriore ex cognitione effectus, idest per experientiam habitam in simili occasione. *Succedere* autem est, sequi effectus. Vnde succedere secundum rationem, est qualis illi operationi, in gratiam cuius est illa peracta, debet sequi.

Vo-

Vocabulum autem illud *Aliud* cũ importet diuersitatem, potest illam importare & specificam, ut sit mutatio scilicet de operatione euacuatiua ad implentem: de refrigerante ad calefacientem: & potest importare diuersitatẽ gradualem magis scilicet operationem illam præstantẽ. Quo supposito dicunt expositores Hip. intelligere de remediis aliis specie, non de aliis sub eadem specie indiuidualiter & gradu differentibus.

Conclusio ergo est: quod medicus, dum operatur cũ ratione, prout scilicet debet, supposita natura morbi, & remedii, saltẽ à posteriore, si non inde proficiat, non debet propterea dimittere illas operationes, & transire ad alias scilicet præter rationem, quarum non sit notus successus, nec à priori, per rationem, nec à posteriori per experimentum. Ratio est: nam medicus non debet operari temere.

Dubitatur tamen: quia perseuerare in nõ iuuantibus est contra medici finem, qui est iuuare. Tuncque experiri non esset medicum, cum tamen experiri faciat ad omnes artes, & ita ad medicinam præsertim, quia ex diuersitate subiecti, quod ratione indiuidualitatis est semper diuersum, necessaria sint experimenta.

Sunt qui respondeant, non esse transeundum, quia successus tempore explebitur. Sed responsio non satisfacit. Nam qui fecit omnia secundum rationem, etiam expectat tempus debitum successui.

APHOR. LIII.

Quicunque aluos humidas habent, si quidem iuuenes fuerint, meliùs degunt his, qui siccas habent. Ad senectam vero deteriùs degunt: nam senescentibus magna ex parte exsiccantur.

Non

NOn repetit hoc loco Hipp. Aph. xx. ut male censens Gal. eum, reliquerit sine expositione, & sine ratione, Sed supposita commutatione alui, de lubrica in stypticam, aut de styptica in lubricam, quę sequitur à iuuentute ad senectutem obseruata in illo Aph. Monet modo eam quæ conueniat magis, aut minus ad vitæ integritatem. Sic enim ego per, *Melius degunt*, intelligo melius, & integrius, hoc est, cum maiore sanitate degunt, idest viuunt, sicut in contrarium per *Deterius*, accipio cum minore sanitate.

Sunt ergo duæ conclusiones in isto Aph., & unica unius ratio, quæ refert tamen & rationem alterius.

Prima conclusio est: quod qui lubrici aluo extabunt, si quidem iuuenes erunt, idest habebunt hanc alui lubricitatē in iuuentute, longius & sanius viuent, quam qui siccam eandem aluum in proposita iuuentute obtinebunt.

Secunda conclusio est: quod qui lubrici extabunt in senectute, cum minore sanitate viuent. Dū enim Hip. subiungit, *Ad senectam vero deterius degunt* demonstrat se accipere eos qui fuere assumpti in consideratione à principio. Hi autem fuerunt quicumq; lubrici sunt, & aluos humidas habent. Quorum postea, dum subiunxit, *Si quidem fuerunt iuuenes*, excipit istos, qui sunt tales in iuuentute: unde relinquebantur alii, qui sunt in ætate oppositaſcilicet in senectute. Hos ergo accipit postea considerandos, dū subungit ad senectutem vero deterius degunt. Ratio autem imanifesta est de solis iis, quos fluidos existentes, aut factos in senectute, dixit deterius viuere. Et est, quia senes magna ex parte, hoc est secundum naturam (nam quod est magna ex parte, est etiam secundum naturam) styptici fiunt, unde fluidos esse, cum sit iis plerisque præter naturam, erit ipsis & ad vitæ longitudinem, & ad sanitatem nocuum.

Ex qua ratione habetur etiam ratio, qua melius viuunt

iu-

iuuenes fluidi. Quia ſicut ſenes natura ſunt ſtyptici, ita iuuenes natura ſunt fluidi. unde qui iuuenes, habent aluum, magis ex naturæ debito, debent etiam ſanius viuere. Quod modo aluus ſecundum naturam ſit fluida in iuuentute, & ſtyptica in ſenectute, non modo innuit Hippoc. in hoc Aphor. & dicit experientia. nam pueri & infantes ſunt maxime fluidi, ſenes vero contra. Sed & docet ratio. Illi enim debent eſſe magis lubrici, qui ſunt humidioris temperamenti, quique gaudent magis eſculentis humidis, & egent iis pluribus. Nam ubi plura aſſumuntur, ibi plura ſunt ex aluo excernenda: & ubi illa sũt humida, debent exire fluida. Sed iſti ſunt, qui creſcunt, ut notatum eſt in Aph. XVI. & XV. Primæ Sect. In contrariũ ſenes ſunt ſicci, minus comedunt, & ſolidioribus indulgent.

Dubitatur autem, cur dixerit nunc, ſenes fieri plerumque ſtypticos, cum in Aph. XX. dixerit abſolute, iuuenes fluidos fieri ſtypticos.

Sed reſolutio eſt: quod ibi dixit, non omnes iuuenes fieri ſtypticos, ſed ſolos fluidos. Nam dixit iuuenes ſtypticos fieri fluidos. Nunc modo loquutus de hominibus uniuerſis dicit, quod in ſenectute plerumque ſtypticantur. Pauci ergo in contrarium lubricabuntur. Et ratio eſt, quia ſtypticitas magis conuenit ſenio, & lubricitas iuuentuti, prout ſuperius dictum eſt.

Cui meæ expoſitioni fauet amicus Celſus, in Primo de Re Medica cap. III. qui ubi retulit Aph. XX. dicens: *Quibus iuuenibus fluxit aluus, plerumque in ſenectute contrahitur; quibus vero in adoleſcentia fuit ad ſtricta, plerumque in ſenectute ſoluitur*, iſtum veluti ſubiungens dicit, *melior eſt autem in iuuene fuſior, in ſene adſtrictior.*

APHOR. LIII.

Magnitudo corporis iuuentæ quidem, nec indecens, nec illiberalis: senectæ verò inutilis, & deterior paruitate.

LIcet Gal. nomine *Magnitudinis corporis*, solam longitudinem accipiat, & credat Hipp. intellexisse in Aph. isto. Ego credo tamen eum voluisse corpus magnum secũdum trinam dimensionem. Non modo quia corpori conuenit longitudo, latitudo, & profunditas, in qua, quæcũque ea sit, potest magnificari: sed etiam, quoniam non sola longitudo eius decet, seu conuenit operibus humanis in iuuentute, & commoda eisdem est, sed etiam conuenit, & commoda est crassities, & latitudo. Nam operationes siue nutritiuæ, siue motiuæ accipiantur, perfectius fiunt tempore iuuentutis, à corpore non modo longiore, verum etiam crassiore. Ita concoctionem alimenti, non sola longitudo, sed magis crassities præstat, cum ea non modo importet abundantiam caloris, unde processit, sed etiam faciat ad eius conseruationẽ in internis, ut dictum est in Aph. xxxv. Sic & operi motiuo non sola longitudo proficit, sed magis crassities: unde quadrata & non valde longa, sed satis crassa corpora, sunt robustiora. Et addo, quod nec sola longitudo est quæ inconuenit, & non accõmodatur senio; quia inde gibbosum, & curuum reddatur corpus, ut annuit Gal; verum etiam crassities, nam diminuto calore, crassities officit coctioni, quia degenerat in cruditates catharrales, & non valet diminutus calor multam corporis materiam, siue illa sit capitis, & spinę, siue ea etiam sit artuum, erigere, & mouere.

Vnde conclusio est: quod sicut in iuuentute plus conuenit

Illustrissimis & Excellentiss.
PETRO SAGREDO
DIVI MARCI PROCVRATORI,
HIERONYMO LANDO
EQVITI,
FRANC.co MICHAELIO,
REI LITERARIÆ III VIRIS

Guidus Antonius Albanesius.

Latuit domestica securitate hoc opus, Amplissimi Senatores, nec quamquam longo excussum labore, erat subiturum alieni pondera iudicij, ni studiosorum contendentium legere, quæ audierant, subita persuasione fluxisset. Istud igitur qualecumque sit, Vobis dono. Vestris enim augustis auspicijs natum, Vestris etiam edi debuit, ut famam non timeret. Quare inter alta pacis

& belli negotia, quibus Vos pro Serenissima Republica omnes vestras curas impenditis, breue aliquod spatium studiis meis lubentes concedite, imitatione excellentium Principum, qui Philosophiæ vel in ipsis castris inter momenta rerum operam nauarunt. Sic namque mihi videbor & precium meorum laborum, & testimonium præsentis in vos obsequij composuisse. Valete diu.

LECTO-

LECTORI.

Plurimi commentati ſunt Aphoriſmos Hippocratis, utpote totius artis Medicæ opus præſtantiſſimum. Multi ante Galenum: & tamen ipſe, quod ſic videretur meliora moliturus, idem præſtitit. Plures ab ipſo, donec corruptis doctrinis compoſitiones faceſſerent in alienorum dictorum indices. Mihi conſilium eſt puris & congruis ſenſibus eoſdem amplecti, unde nec veritatis via deturber, nec ſegniter aliena veſtigia perſequar. Si non meliora, ſaltem promitto parem diligentiam, ſtudiaque ſapientiæ in Ariſtotele conſumpta, quem propria dogmata cum Hippocrate communicaſſe Lib. de Naturalibus Facultatibus Secundo vel ipſe fatetur Galenus. Neque enim quod Is doctrinam potius Platonis retinuit, & in poſteros uſque in hanc diem propagauit, mihi interdictum puto, ex Stagiræ fontibus, unde Gręci cęteris gentibus ſcientias intulerunt, noua vulgares; quæ prius lege, & poſtea benigne iudica. Ea erit methodus, ut primo ęquiuocatione verborum ſublata concluſionem ſenſumque dictorum interprete Nicolao Leoniceno expromam: quæ dein argumentis confirmem, euerſis demum quæ in contrarium obiectari poſſent. More autem ſcholæ loquar, & ad facilitatem diſcentium, quæ potior intentio eſt, ob idq; ſtyli, quæ incidat, impuritatem excuſa. Hæ primæ partes erunt, quibus cæteras adiiciam, ſi de harum fama benè meritus in reliquum vitæ ſucceſſero.

HIP-

HIPPOCRATIS COI APHORISMORVM LIB. PRIMVS.

APHORISMI dicuntur ſententiæ ſeparatæ, nullum habentes eſſentiale commercium ad inuicem. Et bene. quia ad ſui concluſionem non egent præcedente, nec ſubſequente, & eorum nomen eſt deductum à verbo Græco Ἀφορίζω, quod apud eos idem ſignificat, ac Latinis *Separo*: ut cum ratione Auerroes cum cæteris Arabibus, quos Primi poſteriorum ſecuti ſunt, appellauerit iſtud opus Sermonum ſeparatorum: quam ſermonis ſeparationem etiam Gal. & Philotheus propoſuerunt in ſuis huius doctrinę definitionibus, licet breuitatem ſermonis, quę hanc de neceſſitate conſequitur, dum excludit verba connectentia, videantur magis proſecuti. Hinc habeatur ratio, cur expoſitio mea non laboret in connexione. Eorum Auctor dicitur Hippocrates Cous, ab inſula Coo in mari Icario ſita, cuius genealogia nihil operis, aut medicinæ exponit. Obiici bene poteſt: quod non dicat titulus, de qua re ſint iſtæ ſententiæ, cum eſſet magis neceſſarium ſcitu iſtud, quam quod eſſent ſeparatæ. Sed forſan hoc ſecutum eſt, quia titulus non fuerit Auctoris, ſed à poſteris appoſitus, poſtquam factum erat adeo celebre nomen Hip. & horum Aphoriſmorum, ut pro noto haberetur illum eſſe Medicum, & iſtos de re medica.

uenit & accómodatur operibus animę corpus maius, inter corpora. Ita in ſenectute magis conuenit, & commodius eſt operationibus, quod erit mediocritate minus.

Ratio autem patet: quia corpus debet dimetiri cum anima, ita ut illa maiore exiſtente, ſit & ipſum maius, & ea diminuta diminuatur & ipſum, loquendo de anima nutritiua, & motiua, quæ organo utitur in opere ſuo, non de intellectiua, quæ organum non habet, & propterea non magnificari, aut diminui, nec improprie, prout improprie, dicitur de brutali & plantali.

ir & accommodatur operibus animæ corpus humanum, inter
pora. Ita in terra quæ magis concuti, & commotiones
operationibus, quod ejus mediocritate minus.
ratio autem patet: quia corpus debet dimetiri cum ani-
ita ut illa maiore excitetur, ut & ipsum minus, & ca di-
nta diminuatur & ipsum, loquendo de anima nutri-
& motiua, quæ organo utitur in opere suo, non de in-
lectiua, quæ organum non habet, & propterea non ma-
ficari, aut diminui, nec improprie, prout improprie di-
ur de brutali & plantali.